

1971

A

6453











ANIMADVERSIONES  
AD  
ARISTOTELIS  
LIBRUM PRIMUM  
RHETORICORUM  
CUM  
NOTITIA ET CENSURA  
GRAECI SCHOLIASTAE EORUM  
PAUCIS COGNITI  
QUAM DISPUTATIONEM  
CONSENSU  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
P R A E S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
ERUDITISSIMO  
FRIDERICO AUGUSTO WOLFIO  
ELOQ. ET POËS. PROFESSORE PUBL. ORD.  
PRO SUMMIS IN  
PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS  
DIE II. MAII MDCCCLXXXIII  
PUBLICÉ DEFENDET  
IOANNES SEVERINUS VATERUS  
ALTEBURGENSIS.

---

HALÆ SAXONUM.



71 A 6453

Me  
Bin  
Hyle cē \$

HALLE 21/10/11





V I R I S  
PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS  
ANDREAE ET THOMAE  
DE W A G N E R

UTRIQUE IN SUPREMO RERUM AD FISCUM  
SEREN. ELECT. SAX. PERTINENTIUM  
SENATU A CONSILIIS SANCTIO-  
RIBUS cet. cet.

VIRIS PROPTER EXIMIAS  
INGENII ET ANIMI VIRTUTES  
SPECTATISSIMAMQUE ET ERUDITIONEM ET  
EXPERIENTIAM NEMINI NON VENERABILIBUS  
SIBI PROPRIE OB  
PATROCINIUM FAVOREM

ET  
NECESSITUDINIS VINCULUM MAXIME COLENDIS  
SIMULQUE

I L L U S T R I  
FRIDER. SEVER. CHRIST.  
V A T E R O

SEREN. DUC. SAX. A REDITIBUS PROVING.  
ADVOCATO AULICO ORD. ET CIVITATIS  
ALTEBURGENSIS SYNDICO

V I R O  
INTEGERRIMO ET IURIS CONSULTISSIMO  
PATRI OPTIMO ET DE SE MERITISSIMO

PRO  
TOT BENEFICIIS  
ET PRO  
TANTA BENEVOLENTIA  
ANIMI GRATISSIMI SENSUM  
ET  
PIETATEM NON FUCATAM  
SIGNIFICARE FESTINANS  
HASCE  
PRIMITIAS  
STUDII IN LITTERIS POSITI  
OBSERVANTISSIME  
OFFERT  
AUCTOR.



## PROOEMIUM.

Cum mihi Academici libelli scribendi occasio oblata esset: Aristotelis potissimum librum quendam, quem illustrare conarer, elegi, quod eius librorum lectio post tot egregios viros, qui ad hoc usque saeculum in eo certatim elaborarunt, multis difficultatibus premi videretur. Quantum per tenuitatem ingenii mei licebat, nunc quidem ad Rhetoricorum libri primi interpretationem, partim ad lectionem constituendam quaedam afferre mihi propositum fuit; qua de causa etiam exemplaria vetera, versiones Mureti aliorumque, et Scholiasten Graecum assidue contuli. Quoniam de lectionis varietate tantummodo ea a me notabuntur, quae praetermissa sunt a prioribus. Praeterea Scholiastae illius parum adhuc cogniti neque excussi descriptionem adieci.

Viri

Viri Amplissimi, quibus omne hoc specimen operae in litterarum studio collocatae debebam, haec et quae nunc ad defendendum libellum publice disputaturus sum, ut aequi bonique consulant, summopere quaeso et oro.

Ut vero adversarii mei habeant, de quo inoffensus mecum disputare possint, cum critica argumenta nec iis, qui disputant, nec iis, qui audiunt, fatis iucunda videri soleant: subiicio theses quasdam, unde spero fore, ut larga disquirendi materies subnascatur.



EXPLICATIO NOTARUM  
EXEMPLARIBUS ANTIQVIS SIGNANDIS  
USURPATARUM.

- Libri scripti. — Libri scripti a Victorio collati.  
Codex Victorii. — Codex antiquissimus et optimus, quem Victorius habuit, et cuius omnem varietatem notat.  
Priscus Intpr. — Versio Latina ante Saec. XII-mum facta, cuius discrepantiam ex diversis codicibus Victorius et Morellius significant.  
Schol. Gr. — Scholiae Graecae.  
Ald. — Editio Aldina, princeps. In collectione Rhetorum Graecorum. Ven. 1508.  
Bas. — Ed. operum Aristotelis. Basl. 1531.  
Ven. — Ed. Veneta Trincavelli. Ven. 1536.  
Victorius. — Commentarius Victorii, cui subiectus est textus Gr. ex recensione auctoris. Flor. 1548.  
Isingr. — Editio Opp. Aristot. Basl. 1550.  
Cam. — Edd. Opp. Aristot. cura Camotii. Ven. 1551.  
Maioragius. — Commentarius Maioragii. Ven. 1591.  
Morellius. — Editio Morellii. Paris. 1559.  
Argent. — Ed. Sturmii. Argent. 1570.  
Sylb. Casaub. Schrad. — Edd. Sylburgii, Casauboni, Schraderi.

---

THE-

## T H E S E S.

- I. Numerorum doctrina Pythagoras de philosophia theoretica optime meruit et Aristoteli viam munivit ad Dialecticam.
  - II. Quod Socratem doctrinae morum et officiorum primum auctorem prodiderunt, contigit huic id, quod aliis postea philosophis pluribus, ut, si quis rem a prioribus inventam singulari studio uniceque tractaret, eius rei princeps auctor haberetur.
  - III. Aristotelis sententia de Deo, magis quam ceterorum philosophorum veterum, et Deo et philosopho digna est.
  - III. Liber Rhetorices ad Alexandrum Aristoteli perpetuam tribuitur.
  - V. Arcesilaum Platonis decreta, quibus in rebus sensui subiectis certi nihil invenitur, palam tantummodo pressisse contra Stoicos, ceteroquin cum Platone omnino consensisse, vix poterit probari.
  - VI. Opiniones quaedam Orientalium non sunt causa praecipua, cur Saec. II et III. philosophiam corruptio et superstitio incederet.
  - VII. Critice philologica non debet parvi haberi, ut rerum minutarum disciplina. Nam latissime pater, et in omnibus antiquitatis doctrinis, quae a rebus in factis positae dependent, non impune negligitur.
  - VIII. Ideo maxime lites et iurgia libenter spectamus homines, quia certantium mutua contentione virium et eius vicissitudine spectatoris ipsius animus sine molestia attenditur.
-



I

---

ANIMADVERSIONES  
AD  
LIBRUM PRIMUM  
RHETORICORUM ARISTOTELIS.

---

**R**hetorice Aristotelis accommodata est aetati, qua interfuit oratoris, auditorum animos flectere, iisque argumentatione persuadere, honestum esse aliquid aut utile aut iustum. Hoc enim persuadere significat: sententiam auditoribus argumentando probare, non animos malis artibus captare. Contra, cuiusmodi erant rhetores, quos Aristoteles capite primo reprehendit, quique disciplina sua, praeter rationem conformandae orationis, eiusque partium collocandarum, nihil exponerent; paene eiusmodi sunt seriores artis magistri, ut Hermogenes alique, qui in describendis orationis partibus et in ponendis praeceptorum exemplis maxime versantur.

A



5  
santur. Neque absolum id erat a rationibus temporis. Cum enim tota liberarum civitatum administratio ab eo suspensa esset, quod civibus placeret et persuaderi posset: postea libertate et *αὐτονομία* adempta non nisi in eo oratoribus opera fuit ponenda, ut in corona civium, orationes audire assuetorum, de re quadam bene differerent (*ἐπιδείξεις*), atque in iudiciis clientium causam tuerentur. Auditoribus vero ut placerent dicentes, conformatione et ornatu orationis magis quam vi argumentorum efficere poterant. In iudiciis idem conducebat, magis tamen accurata causarum partitione et definitione orator iuvabatur. Haec igitur tractantur ab illis rhetoribus. Inter utramque huius disciplinae methodum quasi mediam viam videtur tenere auctor Rhetoricae ad Alexandrum, quae perperam, ut opinor, Aristoteli tribuitur. Recentiori vero aetate quae habentur orationes, in iis id fere agitur, ut edoceantur auditores. Cumque v. c. concionatores sacri, qui ad agendum auditores excitant, ipsam morum doctrina veterentur, in utilitate, iucunditate et laude facinorum maximam partem morari: docent magis, quid faciendum sit, quam persuadent animis. Quanquam oratores excipio politicos in quibusdam, quae hodieque sunt, civitatibus liberis. Atque ita effectum est, ut rhetoricis recentiorum libris prope sola bene dicendi et scribendi praecepta contineantur, et dicendi scribendique genera diversa ex doctrina pulchri aestimentur. Itaque inter hanc et Aristoteleam disciplinae rationem multum differt.

Seric-



Seniores illi Graecorum rhetores, ut dixi, potissimum ostendebant, quomodo prooemium aut epilogus conformandus esset; et cum paullo longius de enarratione et probatione disputarent; hac ratione simul locum de inventione argumentorum quadamtenus tractabant. Aristoteles contra statim in principio operis declarat, persuasionem et probationem omnino propositam esse arti oratoriae; atque eo, quae praecipit, omnia referuntur. Quae igitur ad persuadendum pertinent, integris duobus libris exponit; ita ut L. I. c. 1—3. propositum significet, c. 4. — L. II. c. 19. de materia argumentorum, ut de utilitate, honestate, de perturbationibus animi et de affectionibus hominum externis, quantum huc pertinebat, et quantum oratores iis iuvarentur, disputet, et L. II. c. 19—26. de ipsa probationis argumentationisque ratione praecipiat. Libro tertio denique de conformatione et ornatu orationis dicit.

Eiusmodi libros, in quibus Aristoteles ea, quae philosophia continentur, consulto non subtiliter exposuit, patet, inter esotericos libros numerari non posse, qualemcunque statuas librorum Aristotelis exotericorum esotericorumque vim et discrimen esse: quanquam ea res multis adhuc difficultatibus obsepta est, quae non sunt huius loci.

C. I. §. 2. *Ἐπει δ' ἀμφότερος ἐνδέχεται.* Sententia haec declaratur: Quia potest intelligi, quid sit causae, cur et qui temere dicunt, et qui propter exercitationem, id assequuntur;

A 2

quod

quod volunt: inde colligi potest, qua via ingrediendum sit, ut idem assequamur. Enuntiatio, quae sequitur: δι' ὃ γὰρ ἐπιτυχ. ad protasim periodi quodammodo pertinet. Plinius enim dixisset Aristoteles: ἐπεὶ ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, καί, δι' ὃ ἐπιτυχάνεσι ἀμφοτέροι, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται. δῆλον κτλ. Cicero (de Or. III, 8.) quamvis eandem sententiam ex hoc fonte duxisse videatur Maioragio: tantum tamen abest, ut plane eadem proponat, ut alio transferat sententiam. Artis enim praecepta inveniri posse, Aristoteles inde colligit, quod utrique possint dicere, et causa, cur possint, perspicua sit. Cicero contra id ex eo derivat, quod intelligi possit, cur alii aliis melius dicant, et quidem cur, qui propter exercitationem, callidius, quam qui temere id faciant. — Verior lectio ἀμφοτέρως auctoritate prisca Inpr. firmatur. In edd. vet. legitur ἀμφοτέρα.

§. 3. Αὐτῆς μόριον scil. τῆς Ῥητορικῆς Grammaticae paullo durius id elicias ex verbis τὰς τέχνας τ. λόγων. Sed haec sermonis negligentia saepius in Aristotele reperitur. Nulla mutatione egemus.

"Ὅπερ ἐστὶ σᾶμα. In Bipont. exemplo impressum est ἄπερ, quod vix Graecum est. Illud recte habet. Cum enim relativum, duobus nominibus eodem numero adhibitibus interiectum, fere ad posterius accommodetur: ex analogia existimari debet, Graecos et Romanos, cum diversi numeri substantiva iungerent, eadem loquendi ratione usus esse. Eodem ducunt certiora

ra



ra pleraque huius generis exempla. Vid. Cic. de Fat. c. 1. Verr. V. 55. Catil. II. 12. Iul. Caes. B. Civ. II. 19. Nostro in loco etiam alia ratio suppetit. Ὅπως potest intelligi, ut τῆτο τὸ πρᾶγμα ἐστὶ σῶμα, quemadmodum L. III. c. II. §. 7. μεταφορᾶς καὶ ὅτι τῆτο πλείστον δύναται. — Σῶμα τῆς πίσεως non verterim: *robur et nervum fidei faciendae*, ut enthymema sit *πίσις* potentissima, sicuti robur militis; ceterae autem fidei faciendae rationes sint minus efficaces, ut arma. De efficacia hic sermo non est. Σῶμα ex usu linguae Graecae est id, quo ipsa res continetur, ut fluvii σῶμα aqua est. Maioragius recte vertit: *ipsa natura et substantia*. Itaque enthymema est id, in quo uno ipsa et vera persuadendi ratio cernitur. Metaphora haec est: cetera, quibus fides solet fieri, extra rem sunt, et ad ipsam *πίσιν* plane non pertinent, ut figura et color corporum, quorum materia consideratur. Atque de hac vera *πίσει*, quae argumentis nititur, de ἀποδείξει disputatur in hoc prooemio, cf. §. 9. et 11. Ad enthymema autem referuntur omnia, quibus argumentatio efficitur. Qui versatus est in ταῖς ἐντέχνους πίσεσι, est ἐνθυμηματικὸς et enthymema est οἰκειότατον τῶν πίσεων, potissima probatio, cuius hoc munus et nomen proprium est. — Eiusmodi aliquam significationem voc. σῶμα, si retineretur, esse debere, Muretus, acutissimi iudicii vir, sine dubio intellexit. Qui cum ῥῶμα substitui vellet; arbitratur, σῶμα illud non significare. At eodem modo Aristot. Meteor. II, 4. τὴν ἕρπον ἀναδυμίωσιν vocat τὸ σῶμα τῆ ἀνέμου et paullo post τὴν

την ὕλην. Alia huiusmodi vid. apud Casaub. ad Athen. II. 6. p. 89.

Pag. 2. §. 4. Εἰ περὶ πάσας ἦν τὰς κρίσεις. Verba τὰς κρίσεις Muretus delet, et ad πάσας subaudit πόλεις ex voc. πόλεων, quod sequitur. Qua mutatione non est opus. Nam vis et usus particulae περὶ magis convenit vulgatae lectioni, quam coniecturae Mureti, et institutum hoc magis ad civitatum iudicia, quam ad civitates pertinet. Huc accedit, quod in verbis περὶ πάσας τὰς κρίσεις ipsum inest id, quod Muretus desiderat: περὶ τὰς κρίσεις τὰς πανταχῆ, τὰς πάσων τῶν πόλεων.

§. 5. Ἄπαντες γὰρ, οἱ μὲν — οἱ δὲ. Notabilis syntaxis, inde ab Homero scriptori optimo cuique usitata. v. Clark. ad Odyss. XII. 73.

§. 7. Καλῶς τὰς κρινοντας. Edd. Ald. Bas. articulum omittunt. Male. Articulus enim ostendit, καλῶς cum voc. κρινοντας iungi non posse.

P. 3. Οὐτε περὶ τῶν παρόντων. Absunt quidem haec verba ab omnibus libris scriptis Victorii et prisco Intpr. Ob similitudinem tamen eorum, quae sequuntur, breve hoc enuntiatum facile excidere potuit. Bene locum suum tenet. Adsit enim necesse est aliquid, quo περὶ μελλόντων referas. Ed. Bas. ἐπὶ τ. παρόντων et ἐπὶ μελλ. eademque et Cam. ἤδη ἐπὶ παρ. loco τῆς περὶ.

Πρὸς



Πρὸς ἑς — συνήρηται πολλάκις. Muretus ad vocc. πρὸς ἑς supplet παρόντας καὶ ἀφορισμένους. Sed cum ea, quae antecedunt, περὶ τ. παρόντων ἀ. π. μελλόντων, sine dubio neutro genere accipienda sint: multo facilius subauditur πρὸς ἐκκλησιάσιν καὶ δικάσιν. Notandum est, ἐκκλησιάσιν cum eo, qui in iudiciis iudicat, cum δικάσῃ, saepe coniungi, quod qui in concione sententiam dicit, utramque personam tueretur et suaforis et iudicis. Iudicium enim rei, de qua deliberatur, est penes hunc asque ac penes ceteros. v. Aristot. de rep. III, 11. Igitur commation hoc ita vertendum est: *apud quos amor odiumve et commodum privatum coniunctum est cum re tractanda, eique adhaeret.* Ita expressum est vocabulum συνήρηται, quod cum sit in libris scriptis, in prisco Intrpr. et ed. Veneta, praeferre cum Mureto non dubito. Συνηρηθῆσαι hoc significato dici, exemplis probandum est, quae vix inveniri poterunt. Vocis συνήρηται retentae si qua est significatio, haec est: adversus iudices oratores simul (cum aliis argumentis) complectuntur oratione amorem et odium et utilitatem ad iudices redundaturam. Quae durior est ratio,

§. 9. Εἰ δέ. Edd. Ald. Bas. Cam. εἰ δέ.

§. 10. \*Ἡ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα. Muretus iure offenditur his verbis, quae in versione omittit. Nam haec generis iudicialis appellatio in his libris alibi nusquam invenitur. Praeterea haec abundant. In antecedenti enim oratione inest id, quod comparativo respondet. Quod

Quod si quis non intellexit: adscripsit fortasse verba ἢ περι τ. σ.

P. 4. Διολογίας. Ed. Ifingr. δικαιολογίας. Saepe in his libris eadem lectionis diversitas invenitur, ut c. VIII. 38. Nisi in optimis exemplaribus et scriptis et impressis legeretur δικαιολογία et δικαιολογεῖν: non damnandum esset δικαιολογεῖν. Usitator est haec forma; inprimis apud Lucianum. Utra Aristoteli placuerit, haud dixerim. Certe eadem utrumque significatione dici, nemo dubitet.

§. II. Περι δὲ συλλογισμῶν — μέρος τινός. Omisit haec vertendo Muretus. A particula ἐπεὶ hoc enuntiatum quidem non pendet, neque adeo gratum necessariumve est, ut omitti non posset: abiici tamen id non debet. Aristoteles enim saepius quaedam inserit, quae a constructione periodi non suspensa, sed parentheseos signis includenda sunt, vid. c. VII. 3. et 33. L. III. c. 18. alibi. Praeterea scripta logica tam saepe citat in his libris, ut etiam hic citasse videri queat.

Δῆλον δ' ὅτι. Interpretes consentiunt, his verbis apodofin incipere. Quam ob causam particula δὲ plerisque displicuit, quam Schraderus in δὲ mutandam esse censet, Buhlius V. Cl. delevit. At vel in his libris aliquoties delendum foret, si verum esset, particulae δὲ in apodofin locum non esse. Ut enim hic, ita etiam c. IV. §. 2. et 3. X, 4. ita Polit. VIII. 6, 19. legitur. Edd. Ald. et Victorii in omnibus his locis δὲ habent, et Victorius c. X, 4. affirmat, se in omnibus



bus libris scriptis δὲ invenisse, Aristotelem faepe ita loqui, nec quemquam ea re turbari. In optimis Atticis δὲ illud inveniri, monuit Wolfius, vir summus, mihi ob maxima in me merita per totam vitam summa cum pietate venerandus, in Comm. ad Demosth. or. Lept. p. 297. Plerumque a VV. DD. eiusmodi in locis δὲ in δὴ aut γε mutatur; ut a Moro in Paneg. Isocr. c. 27. et alias.

Τό, τε γὰρ ἀληθές — πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐστὶ.  
 Cum paullo ante dictum sit, quae inesse debeant in oratore, ut persuadere possit: nunc notatur, ita affectum alius artis institutione ad ipsum persuadendi munus non indigere. Dialectica enim edoctus verum cognoscit, eoque cognito simul verisimile. Quare etiam orator et quod πιθανόν est, et τὸ φαινόμενον πιθανόν simul intelligit. Haec huius loci explicatio legitur §. 14, quo, quae ante dicta sunt, repetuntur, quique eo magis huc referri debet, quod de hac re nullo alio in loco disputatum est, quo posset referri. Itaque Victorius nobis deserendus est, qui huius loci vim in eo ponit, quod τὸ ἀληθές Dialecticae, et τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ Rhetoricae conveniat.

Praeclarum est, quod Aristoteles adhuc praecepit, oratoris esse, in orationibus nihil tractare, nisi quod ad declarandam et demonstrandam causam pertineat; pravi hominis autem, iudicum benevolentiam captare, eorumque animos privata utilitate proposita corrumpere. Causarum patronis ostendendum esse, rem ita esse aut non esse, gestam esse aut non esse;

esse; honestatem turpitudinemque rei non esse demonstrandam, quod haec iudicem necesse sit ipsum per se scire. Harum legum rigida severitas ne iis, quae postea ab Aristotele tractantur, videatur plano adversari: haec notanda sunt. Aristoteles in hoc prooemio significat, quemadmodum res debeat esse. Cum vero iudicia concionesque non habeantur ad hanc formulam, cum multa dicenda sint propter pravitatem auditorum (L. III. 1, 5. c. 14. extr.): iam inde a capite proximo incipit proponere Rhetoricen faeculo et civibus suis accommodatam. Ad illa, quae propter pravitatem et imperitiam auditorum dicenda sunt, pertinent ea, quae primo libro de utilitate, iustitia, honestate et iucunditate demonstranda; secundi parte prima de ira aliisque animi perturbationibus et affectibus, et tertio de oratione ornanda disputantur; id quod Aristoteles ipse L. III. 1, 5. non obscure significat. Paucissimi vero sunt loci in his libris, in quibus monstretur via pervertendi causae veritatem: ut C. XV, 25. significando incommodo, quod iudicibus ex hac causa exoritur; §. 26. quaestionibus per tormenta habitis univérse vituperandis, et L. II. 4. extr. eos, qui non sunt inimici amicive, tales esse ostendendo. Eiusmodi instrumentorum interdum usus est ad causam bonam tuendam. Atque hac de causa putaverim ea prolata esse. Praeterea cum nostro in loco §. 12. dicatur: *contraria persuadere posse oportet, non ut utrumque faciamus: neque enim mala persuadenda sunt; sed et ut ne nos illa ratio lateat, et si quis iniuste eo dicendi artificio utatur, refellere et confutare ipsi possimus, quae ab eo afferuntur:* his igitur



Igitur verbis Aristoteles simul de consilio, quod in pravis artificiis declarandis habuit, dixisse existimandus est. Itaque hoc prooemio effigiem rei publicae administrandae et iustae iurisdictionis non expressit quidem: attamen umbram delineavit: et in hac specie philosophi animo observata iudices sunt tam probi et tam periti, ut eos de honestate aut turpitudine facinoris monere supervacaneum sit. In plerisque rebus publicis aetate sua florentibus intellexit aliam esse iudiciorum formam, ad quam apposite iam tractat Rhetoricen (vid. §. 4. et L. III. 1, 5.). Cur vero non declaret statim, se non ita, ut ex prooemio existimari poterit, de Rhetoricis esse disputaturum, causa haec est, quod apud omnes constat, praecepta dicendi non posse accommodari ad doctrinam iusti, sed oportere constitutioni civitatum, in quibus dicendum est, et hominum affectionibus convenire. Praeterea Aristoteles saepe praetermittit, quae ab aliis scriptoribus transeundo notantur. Ut cum bona et utilia enumeret; dicit alia esse, quae omnes bona esse consentiant; alia, quae dubitationem aliquam habeant. Iucundorum honestorumque, quae postea recensentur, idem discrimen est, sed hoc non declaratur.

P. 5. §. 12. *Χρησιμος δὲ ἐστίν.* Sex locos ex his libris laudat Dionysius Halicarn. in Epist. ad Ammaeum. Hos non affert memoriter, sed describit ex libro suo; id quod perspicitur ex ratione, qua laudat Aristotelem. Ob antiquitatem, qua vel vetustissimum Victorii librum superant, testimonia haec memoratu dignissima sunt. Nō  
fīrē

stro in loco primam partem §. 12. Χρήσιμος δὲ  
 ἔστιν — πρὸς τ. πολλὰς ἐνταύθως exscripsit (ed.  
 Sylb. T. II. p. 121.). Sylburgius pleraque con-  
 formavit ad ea, quae in his libris Aristoteleis le-  
 guntur. Itaque lectionis diversitatem ex edd.  
 Sylburgiana antiquioribus notabo. Hic igitur  
 in Dionysio legitur: διὰ γε τὸ φύσει ἔναι, quae  
 lectio certe melior est vulgari τε, nisi utrumque  
 deles, quod aliae ex edd. vett. τε, aliae τὸ omit-  
 tunt. Praeterea Dionysius pro διδασκαλίας γὰρ  
 habet διδασκαλία γὰρ et ἐν τοῖς Πολιτικοῖς λέγομεν  
 pro ἐν τοῖς Τοπικοῖς ἐλέγομεν.

P. 6. §. 14. Ἄλλὰ μέχρις. Edd. Bas. Cam.  
 ἀλλὰ καὶ μέχρις. Non male. Paulo post pro τό,  
 τε πίδανον Edd. Ald. Bas. Cam. τό γε πιδ.

Ὁ γὰρ σοφισμὸς ἐκ ἐν τῇ δυνάμει — κατὰ τὴν  
 δυνάμιν. Ordo, quo collocata sunt enuntiata,  
 sententiam obscurat. Praecedebat, eadem ani-  
 mi facultate perspicui et probabile, et id, quod  
 probabile videretur. Iam additur, arte oratoria  
 utrumque tractandum esse, quia oratores alii eo,  
 quod revera probabile sit, utantur; alii eo, quod  
 hanc speciem prae se ferat. Nam et qui omnem,  
 quam possunt, operam in eo ponunt, ut verum  
 intelligatur et persuadeatur (ὁ κατὰ τὴν ἐπιστήμην  
 s. δυνάμιν ῥήτωρ); et qui fictis argumentis verifi-  
 militudinis colorem inducunt, et consulto audito-  
 res decipiunt (ὁ κατὰ τὴν προαίρεσιν); utrique igi-  
 tur uno nomine oratores appellantur. Ex op-  
 positis illustrantur haec. In Dialecticis contra  
 haec separata sunt. Sophista et Dialecticus in  
 alterutra re singulatim studium collocant. Ibi  
 qui



qui voluntatem sequitur in persuadendo (ὁ κ. τ. προαίρεσιν), Sophista vocatur; Dialecticus contra, qui facultatem suam et vim argumentorum. De elocutione κ. τ. προαίρ. et δυν. vid. Eth. Nicom. III. 15. extr. Πλήν significat *sed, contra*. Victorius iam notavit, in similitudine Dialectices et Rhetorices esse causam, cur πλήν sit pro ἀλλά. Nam excipitur aliquid, in quo differant. Τὸ εἶναι ἐν ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ' ἐν τῇ προαίρεσει ad oratoriam quoque pertinet, sed etiam contrarium.

P. 7. C. II. §. 2. Τῶν δὲ πῖσεων αἱ μὲν ἀτεχνολογοὶ εἰσι, αἱ δὲ ἑυτεχνολογοί. Constat, ἀτέχνους πῖσεις, ut testimonia, quaestiones per tormenta, eam ob causam ita appellari, quod non sunt oratoris arte comparatae et excogitatae. Ceterae omnes dicentis arte inveniuntur, ut causam suam defendat. Id enim est, quod paullo post dicitur διὰ τὴν λόγον πορίζεσθαι. Cum vero in his πῖσεσι ἐντέχνους numerentur non solum argumenta, ex ipsa causa desumpta, sed etiam ea, quae moribus et estimatione dicentis et quae affectibus animi auditorum concitandis continentur: haec videntur contraria esse iis, quae c. I, 9. de πῖσεσι ἐντέχνους dicta sunt. Sed duplex est significatio πῖσεων ἐντέχνων. Nam et quae arte comparantur rationes faciendae fidei, et quae solius artis oratoriae sunt propriae, hoc nomine vocantur: illae latiori sensu, hae angustiori, et illae quidem nostro in loco, posteriores c. I, 9. Discriminis causa est in eo, quod capite primo de iis sermo est, quae Rhetoricae propria sunt, quibusque ab aliis artibus omnibus distinguitur. Eadem de causa c. I. πῖσις fere est ἀπόδειξις, argumen-

gumentatio rhetorica, quippe quae hac arte sola, nullis aliis in auxilium vocatis, efficitur. Nostro in loco et in iis, quae sequuntur, ut c. VIII, 6. aperte dicitur, *πίσεις* sunt rationes et instrumenta fidei faciendae et persuadendi, quibuscunque oratori opus est.

*Καὶ ὅσα τοιαῦτα.* Commation hoc, quod in edd. vett. non legitur, Victorius ex cod. suo et prisco Intpr. bene restituit.

P. 8. §. 4. *ἀξιόπιστον ποιῆσαι.* Add. Ald. Bas. *ἀξ. ποιῆ* et paullo post *περὶ πάντα.* Eaedem et Cam. *τὸ ἀκριβὲς μὴ ἔσαι.*

*Καὶ τὴν ἐπιείκειαν τῷ λέγοντος, ὡς ἔδεν συμβαλλομένην.* *Συμβαλλομένην* est in cod. Victorii et prisco Intpr., in aliis libris scriptis *συμβαλλόμενον*, in aliis *συμβαλλομένα*. Illud rectum, sed interpunctio ante voc. *ὡς* delenda est. Haec enim et particula *καὶ* attulerunt difficultatem, qua hic locus premi visus est. Ea fecit, ut putarent Interpretes, voce *λέγοντος* finiri enuntiatum, neque cum verbis *ὡς ἔδ. σ.* id coniungerent. *Ἐπιείκεια τῷ λέγοντος* est id, quod statim ἦθος dicitur, probitas, quae inesse in dicente, ex oratione intelligitur; non ea, quae ex vita hominis cognita et spectata est; est bona existimatio, quae oratione efficitur. Hac enim de re disputatur in iis, quae proxime antecedunt. Hanc igitur ostentationem integritatis rhetores quidem attingerant in commentariis, sed inutilem esse affirmarant. Neque est absonum a ratione temporis, rhetores quosdam, sophismatis suis et artificiosa



ficiosa argumentorum implicatione nimis confisos, haec praecepisse. Καὶ negligenter positum significat, rhetores praeter alia quaedam etiam hoc reiecidisse. Sed forsan melius *videtur* cum desit in edd. Ald. Bas. Cam. al., Mureto auctore delectatur. Victorius et Maiorag. ἐπιείκειαν accipiunt de vera vitae integritate, non de ea, quae oratione exprimitur. Volunt in eo rhetores reprehendi, quod dicentem moribus oratione significandis affirmarent nihil conferre ad fidem faciendam. Hanc effici ipsa integritate vitae, quam in praeceptis artis collocarent. Vix recte, Verba, quae statim sequuntur, ipse Maiorag. vertit: *tantum si boni mores oratione expressi nullam ad persuadendum vim haberent.* Itaque intelligitur, ἐπιείκειαν tunc duplici sensu accipi, primum de vera integritate; deinde cum repetitum hoc vocabulum ad συμβαλλομένην subaudire oporteat: nihilominus est species probitatis dicendo expressa. Hac de causa Victorius maluit συμβαλλόμενος scil. ἡδως absolute dici. At ne ita quidem difficultas tollitur. Causae enim nihil est, cur ἡδως significet ostentationem integritatis, ἐπιείκειαν vero vitae integritatem veram. Quare ratio nostra recte habet, et lucidior fuisset Aristotelis sententia, si scripsisset: *ὃ γὰρ ἐστὶ ἥδως, ὡσπερ ἐ. τ. τ. τ. ἔ. τ. τέχνη τὴν ἐπιείκειαν τῆ λέγοντος ἔδδν συμβάλλεσθαι πρ. τ. π.* *Tantum abest, ut quod illi dicunt, nihil conferat ad persuadendum, ut etiam efficacissimum sit.*

§. 7. Καὶ τρίτον τὰ περὶ τ. π. Edd. Ald. Bas. Victorii, Cam. τῆ περὶ τὰ π. Quae lectio non omni-

omnino est reiicienda. Altera ex ed. Morell.  
a Sylburgio recepta est.

§. 9. Τὰ δὲ καὶ δι' ἄλλας. Edd. Ald. Bas. Vi-  
ctorii, Cam. τὰ δὲ καὶ ἄλλας.

§. 8. Τῶν δὲ διὰ τὰ δειν. — §. 22. Inde ab  
hac paragrapho tractatur persuadendi ratio,  
quae ab argumentatione et probatione profici-  
scitur. Quo brevior et subtilior est haec tracta-  
tio, eo est intellectu difficilior, eoque magis ex-  
plicatione indiget.

Instrumenta probationis sunt exemplum et  
enthymema. Exemplum eo differt ab inductio-  
ne dialectica, quod in Dialecticis natura generis  
ex omnium partium natura demonstratur. In  
Rheticis contra vel uno vel nonnullis even-  
tuum exemplis efficitur, credibile esse aut fieri  
posse, ut eiusmodi aliquid etiam nunc eveniat.  
Atque hoc est, quod §. 17. dicitur, exemplum  
h. e. eventum, quod testimonii loco ab oratore  
pronuntiatur, ita se habere ad rem probandam  
h. e. ad eventum alium similem, ut pars se habet  
ad partem: cum contra in Dialecticis inductio  
ad rem demonstrandam, ut ὅλον πρὸς ὅλον, et sin-  
gula exempla, quibus inductio continetur, ut  
μέρη πρὸς ὅλον sese habeant. Exemplum et enthy-  
mema fere distinguuntur, ut diversa argumen-  
tationis genera. Exemplum fit ex singularibus,  
enthymema ex universalibus (Problem. XVIII, 3.).  
Interdum tamen enthymema sensu latiori de  
omni argumentatione universe dicitur. Tunc  
etiam argumentatio, quae ex exemplo est, enthy-  
me-



thymemati, ut forma generi, subiecta est (L. II. 25, 8.). Sed id huc non pertinet; hic manifesto, ut plerumque, distinguuntur. Si quis ita argumentetur: Lacedaemoniis perniciosum fuit bellum cum fociis: idcirco etiam Atheniensibus id nocebit: hoc exemplum est, non enthymema.

Accuratio est demonstratio, qua ex iis, quae univérse aut fere ita sunt, concluditur. Haec est probatio per enthymema h. e. per syllogismum. Quibus syllogismi conformatio continetur, ea etiam ad enthymema pertinent. Quanquam in eo differunt, quod orationi non convenit, totam syllogismi formam accurate exprimi. Non haec est enthymematis, quasi mutili syllogismi, nota propria, ut media propositio, qua argumentum assumitur, fere desit: quanquam enthymema vulgo ita definiunt. Contra in argumento, quod affertur, quodque, ut in syllogismis, universale aut paene universale est, natura enthymematis maxime cernitur. Eiusmodi argumentum oratores saepe sine assumptione et sine conclusione pronuntiant, neque eo minus enthymema allatum est. Conclusiones vero rarius omittuntur, quia magnus earum usus est, ad excitandos et permovendos auditorum animos. Deest saepe ipsa propositio universalis, ut: omnes, quos ipsi hostes laudare coguntur, boni sunt. Oratori sufficit dicere: Carius ab ipsis hostibus laudatur: ergo bonus est. Illud auditor supplebit. Alibi assumptio sine negotio intelligitur; ut §. 13: Dorieus vicit in certamine, in quo victores coronantur; Olympia enim

B

enim

enim vicit. Praeterea argumentum modo est vera ex universalibus, modo hanc tantum speciem habet. Argumentum modo antecedit conclusionem, modo sequitur. Aut pronuntiata propositione, quae in syllogismis maior vocatur, neeuntur propositiones aliae, quae audientium animos ad conclusionem sensim deducant. Concluditur denique saepe exclamando; aut in alia periodo inest argumentum, in alia conclusio: prout orationis natura et dicentis in causis singulis propositum iubet. Ex orationibus enthymematicis, ut ex Demostheneis, haec facile perspicuntur. Atque hactenus potissimum sequor Facciolatum, virum doctissimum, qui in prima Acroasium dialect. de enthymemate disserit. Qui tamen cum affirmet, enthymema esse, quod leviter concludat; syllogismum, qui ex causa rei necessaria ducatur, et ab oratore modo enthymema, modo syllogismum afferri: Aristotelis sententiam puto paullo aliam et diversam esse. Cum enim saepe dicatur in hoc libro, enthymema omnino ex adverso respondere syllogismo, qui fit in Logicis: omnis argumentatio, quae fit ex iis, quae universe aut fere sunt, in Rhetoricis enthymema est. Accedit, quod tantum abest, ut ullo in loco illud enthymematis et syllogismi discrimen notetur, ut §. 14. manifesto etiam rhetorici syllogismi h. e. enthymemata ex necessariis ducantur. Atque eiusmodi sunt enthymemata omnia, quae ex tecmeriis fiunt. Sed pauciora quidem inde ducuntur propter naturam Rhetorices, quae in actionibus hominum aliisque rebus, quae plerumque fiunt, maxime versatur. Enthymema igitur est syllogismus non  
accu-



accurate expressus, sed accommodate ad dictionem oratoriam, ideoque solutior enuntiatorum verborumque compositione. Est etiam in consecutione sententiarum interdum solutior. Saepe, sed non semper, vel assumptio vel conclusio paullo diversa est a sententia propositionis maioris. Tunc leviter concluditur, sed haec non est probationum oratoriarum omnium nota propria. In fallacibus Dialecticis argumentationibus idem evenit: in oratione dicentis copia vitium facilius occultatur. Orator igitur vel accuratius vel levius concludit (L. II. 22, 10.): sed semper accommodate ad dictionem oratoriam debet concludere.

Enthymematum materia sunt *προτάσεις*, propositiones, quae argumento sunt, quibusque efficitur, bonum esse aliquid aut honestum aut maius aut contra. *Προτάσεων* et materia et conformatio potest considerari. Materiae bipartita est ratio, de qua §. 20. inde a verbis, *τῶν δὲ ἐνθ. μεγ. διαφορὰ*, disputatur. Bonum, honestum esse aliquid; terram, non solem circumferri si oratione probaveris: probatio ex Ethicis, Physicisve, non ex Rhetoricis desumpta est. Haec igitur sunt *τὰ ἐνθυμημῶτα τὰ κατ' ἄλλας τέχνας καὶ δυνάμεις*. Alia contra demonstrantur ex propositionibus, quae propriae sunt Rhetoricae aut Dialecticae, et latissime patent. Multae eiusmodi propositiones enumerantur L. II. c. 23. seq. Sufficiat significasse locum de similitudine. Similia conveniunt similibus. Si igitur demonstraveris, eventurum esse aliquid, quia in simili causa alias evenit: in sola similitudinis notione non inest

significatio hominis aut rei, quae similis esse dicitur, sed per se eiusmodi argumentatio est *περὶ ἄδὲν ὑποκείμενον* (cf. §. 21. c. III, 6.). Atque haec dialectica et rhetorica sunt, τὰ ἐνδυμήματα τὰ κατὰ Ῥητορικὴν.

Deinde *προτάσεις*, ex quibus fit argumentatio, sua ipsarum natura et conformatione differunt. Tripartita est haec varietas. Nam τὰ τεκμήρια, τὰ σημεῖα et τὰ εἰκότα sunt προτάσεις (c. III, 7.). Quarum partium discrimen et natura, neque a Victorio neque a Maioragio satis accurate exposita, diligentius notanda est. Solum Aristotelem, certasque eius declarationes in hac re sequar, quoniam Aristotelis causa haec dicitur. Nam in Rhetorica ad Alex. c. 8-15. longe alia horum vocabulorum significatio invenitur. Ita ἔλεγχος ibi ferme id est, quod hic τεκμήριον vocatur. Praeterea etiam Cicero (de inv. I. 30.) et Quintilianus (V. c. 9 et 10.) alias τῶν εἰκότων et τῶν σημείων definitiones proposuerunt, quibus deceptus Maioragius vult, Aristotelis σημεῖα esse signa, quae sub sensum cadant et a re effecta ducantur. Quintilianus dicit: signa esse eiusmodi, ut cruorem caedis. Sed signa Aristotelea latius patent. Nam praeter τεκμήρια, σημεῖα et εἰκότα plane nihil est, ex quo enthymemata fiant; id quod ex hoc loco et L. II. c. 25. luculenter apparet. Τεκμήριον vero, et σημεῖον, quod proprie ita appellatur, continentur latiori σημείων nomine, tanquam genere. Itaque λέγεται ἐνδυμήματα ἐξ εἰκότων καὶ σημείων.

Demonstratio enim alia est, si ostenditur, revera aliquid esse (τὰ ἀναγκαῖα); alia, si verisimile



mīle (τὰ εἰκότα). Verisimile aliquid esse, verisimilibus propositionibus probatur: ut, opinabile esse, fore, ut Caius petulantem Nepotem, a quo laceffitur, castiget, quia irati fere ita agant, Caius autem ad iram propensus sit. Hoc exemplo non convenit dicere: Caius Nepotem, opinor, castigabit: atque σημεῖον est, quod Caius iratus est, aut, quod irati fere ita agunt. Contra esse aliquid et necessario esse, per εἰκότα non potest confici. Quamvis enim verisimillimum sit, facinus esse perpetratum: eo tamen, factum esse, non potes omnino confirmare. Σημεῖοις igitur probantur τὰ ἀναγκαῖα. Σημεῖον est argumentum, quod arguit rem ita esse, quod tamen non ita comparatum est, ut eius vim non intelligas, nisi interiectis multis propositionibus, quibus argumentum cum re probanda cohaerere ostendatur. Ex ipso σημεῖο perspicitur, rem ita se habere. Ut in hoc: opinio haec cadit in naturam humanam; signo est, quod plerique id opinantur.

Σημεῖα vero ad omnia, quae argumentatione probantur, non solum ad res in factō positas aut sensibus subiectas pertinere, intelligitur iam ex eo, quod diximus, ex Aristotelis sententia quaelibet enthymemata vel verisimilibus vel signis contineri. Nam ex alterutro enthymema formandum est, si utile aut honestum aliquid esse ratione, non exemplis a dicente ostenditur; quanquam eiusmodi argumentationes neque re in factō posita neque sensibus subiecta continentur. Exempla Aristotelis hunc usum confirmant, ut c. III, 6. L. III, 2, 1. Esse vero saepe idem est

est ac factum esse, et praesertim in orationibus plerumque tractantur ea, quae euenerunt aut eventura sunt. Quae ut probentur, fere eventis aliis, ut signis, utendum est, ex quibus illa suspensa sunt et consequuntur. (Elench. Sophist. V, 7.).

Sed consecutio haec vel vera est vel fallax: alia signa revera probant, rem ita esse; aliis perperam opinantur id confici. Vera signa sunt, *ἐξ ἧν γίνεται συλλογισμὸς* (§. 17.) h. e. in quibus argumentum cum re probanda artissime coniunctum est, ita ut, si propositio, quae signo est, vera est, alteram veram esse necesse sit: utque si alterum evenit, alterum evenire omnino oporteat. Hoc est *τεκμήριον*. Alterum *σημείων* genus, quod nomine proprio caret, continetur propositionibus *ἀσυλλογίστοις*, in quibus non inest necessaria consecutio. *Τεκμήριον* igitur allatum est, si enuntiatum, quo argumento uteris, forma est; alterum vero, quod argumento confirmas, huius formae genus (*σημείον ὡς τὸ κατ' ἑκαστον πρὸς τὸ καθόλου ὄν*). Genus enim necessario inest in unaquaque forma sua. Ut scis aliquem febrim habere: hoc uteris signo, quo probes, eum aegrotare; nam qui febrim habet, aegrotet necesse est. Contra non item consequitur. Conclusio igitur vera non est, si signum genus est, res probanda autem huius generis forma (*σημείον ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος ἔχον*). Nam formis singulis sunt affectiones propriae, quibus distinguuntur a genere suo et ab eius ceteris formis. Quamvis igitur genus adesse constet: inde tamen nondum conficitur, formam illam singularem



larem nunc revera conspici. Ut si dixeris, Caium frequenter anhelare, quod scias, et hoc argumento intelligi, eum in febrim incidisse: hoc signum verum non est. Anhelantium alii febrim habent, alii non habent: illorum e numero Caium esse, certe hoc signo non demonstratur. Ne verisimile quidem id fit per signum eiusmodi. Eo enim, quod Socrates simul sapiens et iustus est, (quod tertium est Aristotelis exemplum), verisimile non fit, etiam ceteros philosophos et sapientes et iustos esse: efficitur tantum id esse posse. Saepe autem signa captiosissima sunt, ita ut paene omnes credant, ex signo tuo id, quod vis, revera consequi. Saepe enim formam, quam adesse probaturus es, ferme totum generis ambitum complet, ita ut inter genus et formam haud multum intersit, utque, si genus est, ferme perinde sit, ac si forma sit singularis: aut plura eiusmodi signa in eventu aliquo coniuncta sunt, ita ut omnia indicia congruere videantur. Tunc signo verisimile fit, revera id esse, quod vis: at signum non affertur hoc consilio, ut notes, rem verisimilem et *ως ἐπὶ τὸ πολὺ* esse; sed ut confirmes, eam omnino esse, aut fallas auditores, qui te id demonstrasse credant. Atque hoc est, in quo *τὰ σημεία* et *τὰ εἴδη* inter se differunt. *Τὸ εἶδος* affertur, ut res verisimilis sit, sed committitur auditorum iudicio, an iis quoque ita videatur. *Σημεῖον* vero qui utitur, sine exceptione ponit, rem esse. Vt, plerumque mentitur Tubero; verisimile est, eum etiam nunc mentiri. Contra: Mentiris Tubero; signo est, quod heri mentitus es. Idem discrimen intercedit inter argumentationes ex  
 exem-

exemplis et inter *σημεία*. Ut, Atheniensibus hoc perniciosum fuit, erit etiam Lacedaemoniis; hoc enim verisimile est. Contra affirmat aliquis: philosophi (omnes) iusti sunt; signo est: Socrates et philosophus fuit et iustus. Simulat hoc argumento illud confici. Cf. ad hunc locum etiam Anal. pr. II. c. 29.

§. 8. Τὸ δὲ Φαινόμενος συλλογισμός. Muretus in versione (cf. etiam Var. Lect. II. I.) non haec solum, sed omnia, quae sequuntur usque ad verba *ἐνθύμημα συλλογισμός*, omisit. Prius enuntiatum manifesto scholion est: posterius contra: καὶ ἐνταῦθα — ἐνθύμημα συλλογισμός, quanquam deest in edd. Ald. Ven. Bas. Cam.: locum tamen suum ex cod. Victorii et prisco Intpr. merito recuperavit. Eo enim omisso oratio non tam bene cohaeret, quam si ante verba, καὶ δ' ἐνθύμημα, vocabulum *ἐνθύμημα* iam positum sit.

P. 10. §. 9. Ἐν τῶν Τοπικῶν. Post haec verba Muretus inserit haec: καὶ ἄπαρ γὰρ καὶ ἐν τοῖς Μεθοδικοῖς, καὶ ἐν τέτοις ὁμοίως ἔχει, quae omisso voc. *εἰρηται* ex §. 10. huc transtulit. Quae sequuntur: ἐκεῖ γὰρ — εἰρ. πρότερον ὅτι, plane omisit. Cur illa transtulerit, causa fortasse haec est, quod arbitrabatur similitudinis significationem, quae est in verbis, καὶ ἄπαρ — ὁμοίως ἔχει, pertinere ad ea, quae inde a verbis, ὅτι τὸ μὲν, dicuntur: ἐκεῖ μὲν ἐπαγωγή ἐστίν, ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα. Praeterea in Topicis hoc syllogismi et epagoges, enthymematis et exempli discrimen non uberius, quam hic, exponitur. Quare etiam Victorius dicit, ad hanc rem declarandam laudari



laudari Methodica. Nam etiam Victorius alio ordine enuntiata collocat: ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα. καθάπερ γ. κ. ε. τ. Μεθωδοῖς ε., κ. ε. τ. ὁμοίως ἔχει· τὸ δὲ τῶν ὄντων κτλ. Inde existimari potest, in libris eius scriptis aliter haec expressa fuisse, quam in textu vulgari.

Τὸ μὲν ἐπί. Edd. Ald. Bas. τὸ μὲν τὸ ἐπί.

Ἐπὶ τῶν πόλλων καὶ ὁμοίων in ed. Bipont. male vertitur: *apud vulgus eiusque similes*. Quem sensum et oratio Graeca et sententia loci repudiatur. Ostenditur hoc loco, quid discriminis intercedat inter enthymema et exemplum. Quare utrumque describitur, ratione, qua fiant, proposita. Cuiusmodi manifesto enthymematis descriptio est, eiusdemmodi exempli debet esse. Quod exemplorum usus est coram multitudine, haec nota rei propria non est. Τὰ πολλὰ scil. τῶν γενομένων sunt eventa plurima, et id, quod plerumque solet evenire, ut c. VII, 2. τὸ τῶν πολλῶν μέγιστος. Hoc significatu posito non est opus ex idiomate ling. Gr. iungere: ἐκ τῶν πολλῶν τῶν ὁμοίων, *ex multis iisque similibus*: sed puto separatim dici, ἐπὶ τῶν πολλῶν καὶ τῶν ὁμοίων. Diversa enim est ratio rei, cum multa exempla protuleris, et cum pauca, at similia; neque argumentatio rhetorica semper fit ex multis exemplis, sed saepe tantum ex uno.

§. 10. Ὅτι καὶ ἐκότερον ἔχει ἀγαθὸν τὸ εἶδος τῆς Ῥητορικῆς. Verba ἐκότερον τὸ εἶδος τ. P. iungenda sunt. Alioquin nemo intelligat, quid sit τὸ εἶδος τῆς Ῥητορικῆς. Nam si vertitur cum Maioragio:  
*facul.*

*facultatem dicendi*, aut cum Babilio: *Rhetoricen utroque bono frui*: neutrum ex his hoc nomine significari potuit. Quocumque modo veritas, vocabulum *εἶδος* non convenit, quod facillime eo refertur, quod exemplum et enthymema sunt species unius generis. Ita nostra ratione accipitur. Neque obstat ordo verborum, quae L. II. 1, 1. plane eodem modo collocata sunt. Itaque dicitur: *utramque speciem utilem esse ad persuadendum*. Respondet huic sententiae, quod paullo post legitur: *persuadendi vim esse in exemplis, sed vehementiorem enthymematis impetum*. Modo eo offendor, quod exemplum et enthymema vocantur species τῆς Ῥητορικῆς. Nemo enim unquam dixerit, syllogismum esse speciem Logiceae. Etiam si quis subaudiat Ῥητορικῆς τέχνης, et species methodi artificiosae illas esse dixerit: id tamen in vocabulo Ῥητορικῆς non inest. Quare veram lectionem puto servatam esse in cod. Vaticanus: τὸ εἶδος τῆς Ῥητορικῆς. Oratorii enim dicendi generis hae sunt species. Insigniter confirmatur haec lectio auctoritate testis vetustissimi Dionysii Halic. qui l. c. (ed. Sylb. p. 122.) hunc locum exscripsit inde a §. 8. τῶν δὲ διὰ τῆς δεικνύου. — καὶ ἐν τέτοις ὁμοίως ἔχει, et in quo discrepantia lectionis haec invenitur. Legitur ibi: διὰ τ. δ. ἢ Φαινόμενον δεικνύου, καθότι καὶ ἐν τοῖς Ἀναλυτικοῖς, τὸ μὲν κτλ. Absunt verba τὸ δὲ Φαινόμενος συλλογισμός. Contra simile enuntiatum inseritur, statim post verba τὸ δὲ ἐντ. συλλογισμός: τὸ δὲ Φαινόμενον Φαινόμενος συλλογισμός. Inde intelligitur, antiquitus diversis additamentis hunc locum corruptum fuisse. Deinde ibi legitur καλῶ γὰρ ἐντ., desunt verba ἢ ὄντινῶν, quae etiam Mure-



Muretus censet delenda esse (Var. Lect. XV, 16.), et paullo post defunt αὐτῶν ἐκατέρω. §. 9. omisso articulo ἐπὶ πολλῶν καὶ ὁμ., postea παρὰ τὸ ταῦτ' εἶναι ἢ κατ', postremo §. 10. Φανερόν δὲ καὶ ὅτι — ἐκατέρον ἔχει ἀγαθὸν εἶδος τῆς ῥητορείας, κατὰ μέρος καὶ ἐν τ. Μεθ. legitur,

Εἰσι γὰρ αἱ μὲν παραδειγμ. Vis orationis inest in voc. εἰσι. Utuntur vero oratores generibus his. Si enim modo declararetur, duplicis generis orationes esse, haec esset mera repetitio eius, quod iam inerat in enuntiato; utrumque genus appositum esse ad persuadendum. Etiam haec: καὶ ῥήτορες — ἐνδυμηματικοί, Muretus omisit.

§. 11. οἶον ἢ Ἰατρ. Edd. Ald. Bas. οἶον Ἰατρ.

P. 11. καὶ γὰρ ἐκείνη — ἤδη βεβαίως εἰωθῶτων. Totum hoc Muretus reiecit, causa haec, ni fallor, adductus. Haecenus exponebatur, artem ipsam non dirigi ad singulos, neque doceri, quid singulis probabile aut salubre esset. Inde a verbis, καὶ γὰρ ἐκείνη, verò de materia syllogismorum, (de iis ἐξ ὧν συλλογίζονται,) dicitur, quae disputatio huc non pertinet, sed demum §. 12. instituitur. Quam ob causam non puto haec Aristotelea esse. Nec deerat occasio scholii infarciendi. Si quis quid ad verba, κατὰ μέρος καὶ ἢ Διαλεκτική, adscripserat: necessario alia quaedam addenda erant, quibus ad Rhetoricen rediretur, ad quam initium §. 12. referendum est. Scholiastes tamen Graecus Neobarrii, cuius Commentarius hac paragrafo incipit, illud expressit.

§. 12.

§. 12. Οὐδὲν γὰρ πλεόν ἢ ἔτως ἐνδέχεται συμβελεύειν. In his verbis certe mendum inest. H ἔτως enim huc plane non pertinet. Cuius si ullus esset sensus, hic esset: εἰδὲν πλεόν ἢ περὶ τῶν δυνάτων ἄλλως γενέσθαι συμβελεύειν ἐνδέχεται. Quae ellipsis tum per se durior est, quam qua Aristoteles uti posset, tum haec vis adverbii ἔτως opposita est significatui τῆ ἔτως, quod proxime antecedit in verbis ἔτως ὑπολαμβάνων. Fallitur, si quis fortasse putaverit, levi mutatione particulae ἢ in εἰ mendum tolli posse. Aristotele indigna est repetitio: εἰ ἔτως εἰς τὸ πράγμα. Qua si usus fuisset, sine dubio scripsisset: εἰ γὰρ ἔτως, εἰδὲν ἐνδ. σ. Nisi igitur cum Mureto (Var. Lect. XII. 13.) verba ἢ ἔτως ἐνδέχεται συμβελεύειν deleas: certe ἢ ἔτως delendum erit. Idem ad verba εἰδὲν γὰρ πλεόν subaudit τὸ συμβελεύειν h. e. ἀνωφελές εἰσι. Eadem sententia legitur c. III, 3, quem locum iam Sylburgius contulit, quo tamen verba a Mureto eiecta defendi non possunt, quia sententia non mutatur, si tantum εἰδὲν γὰρ πλεόν retinetur.

§. 13. Παράδειγμα ἐπαγωγῆν. Ed. Cam. addit ἔχειν, quod Victorius etiam in libris scriptis invenit, sed aberat a maiori et meliori parte librorum.

P. 12. Οὐδὲ δεῖ προοδεῖναι. Edd. Ald. Bas. εἰ δεῖ προοδ.

§. 14. Συμβαίνουντα καὶ ἐνδεχόμενα. Ἐνδεχόμενα absolute positum significat: quae fieri possunt; id quod huius loci sententiae non convenit. Victorius



Victorius et Maiorag. qui vertit: *non eodem modo se semper habent*, subaudiunt ἐνδέχ. καὶ ἄλλως ἔχειν. Quo significatu voc. ἐνδεχόμενα nullo loco usurpatur, analogia etiam aduersante. Si igitur ea, quae subaudiuntur, necessaria essent ad sententiam loci: in orationem Aristotelis inferenda essent. At mutatione hac nihil opus. Ex eo, quod τὰ συμβαίνοντα necessariis opponuntur, per se intelligitur, illa modo hac, modo alia ratione evenire. Quam ob causam fatius est, verba καὶ ἐνδεχόμενα delere, ut reliquias scholii. Iam Muretus ea omisit, Schol. Gr. contra ante oculos habuit.

§. 15. Περὶ τὰ ἐνδεχόμενα καὶ ἄλλως ἔχειν. Muretus haec non vertit, idque iure. Non enim ista intelligenda sunt ad verba antecedentia, sed haec: ἀλλὰ τὸ ὡς ἐπιτοπολὺ γινόμενον ἔτι καὶ ἔχον πρὸς κτλ. Ex quo patet, illa verba etiam inapte inculcata esse.

P. 13. §. 18. Καὶ τί τεμνῆριον. Edd. vett. et Victorii τί non habent. Accuratius repetitur.

Διόρισται περὶ αὐτῶν. Sane dure additum est περὶ αὐτῶν. Cum nullum eiusmodi exemplum in his libris invenerim: opinor haec verba ex paraphrasi quadam manasse.

§. 19. Παράδειγμα ἐστὶ friget, neque vertitur a Mureto. Ut quodammodo ferri possit, cum Victorio et Maiorag. ante voculam ἔταν colo interpungendum est.

P. 14.

P. 14. Ὅτι ὁ ἐπιβελεύων. Edd. Ald. Baf.  
Cam. ὅτι ἐπιβελεύων.

§. 20. Σχεδὸν πάντες ἐστίν. Cod. Victorii.  
σχεδὸν παρὰ πᾶσιν ἐστίν.

Ὡς περ καὶ — τῶν συλλογισμῶν. Haec Mure-  
tus vertendo omisit, neque ea ullo modo tolera-  
ri possunt. Antecedunt haec: ἐνία τῶν ἐνδυμημά-  
των ἐστὶ κατὰ τὴν Ῥητορικὴν. Cui sententiae re-  
sponderet eiusmodi enuntiatum: ὡς περ καὶ ἐνίοι  
τῶν συλλογισμῶν κατὰ τὴν Διαλεκτικὴν. At ne haec  
quidem dictu necessaria erant, quum iam dicta  
sint. Ea, quae in exemplaribus vulgatis legun-  
tur, plane non conveniunt. Quid enim sit,  
quod κατὰ τ. διαλεκτ. μέθοδον τῶν συλλογισμῶν com-  
paratum sit, non declaratur. Paulo ante pae-  
ne eadem loco suo posita erant: hic inde repeti-  
ta et importune intrusa sunt.

Λαυθάνασι τὰς ἀπροότας. Ed. Cam. λαυθάνασι  
τε τὰς ἀπρ. Placuit viro docto, in his verbis *Rheto-  
ricae studiosos* intelligere, qui non sentiant, magi-  
stros artem suam deserere. Cuius interpretationis  
quae sit causa vel auctoritas, equidem non repe-  
rio. Saepissime in his libris de auditoribus ora-  
torum sermo est, nusquam de discipulis rheto-  
rum. Nec eo ipsa loci sententia ducit. Itaque  
ἐνδυμημάτα τὰ κατ' ἄλλας τέχνους (hoc enim subau-  
diendum:) quorum discrimen paene omnes latere  
ante dicebatur, *latent auditores*, qui putent, ora-  
torem, qui iis utitur, proprio artis munere  
fungi; *quin orator qui supra modum hoc enthyme-  
matum genere utitur* (ἀπτόμενοι scil. τέτων), *a mu-  
nere*



*nere suo recedit.* Vocula καὶ sequenti καὶ respon-  
det: tum auditores hoc latet, tum oratores simi-  
le aliquid patiuntur. Qui si univérse et magis,  
quam ad causam suam pertinet de iure, de uti-  
litate disputant: iam non differunt, ut oratores,  
sed ut philosophi. Inconsulto declinant a pro-  
posito, et munus suum deferunt. Τὰ ἐνθυμήματα  
τὰ κατ' ἄλλας τέχνας λανθάνουσι significat: latet, ea  
ex aliis artibus sumpta esse, ut L. III. 8, 5. Hae-  
ret tamen difficultas aliqua in eo, quod, cur  
de relatione, quae auditores inter et oratorem  
est, hic dicatur, vix intelligitur. Sane totus  
locus melius cohaereret, si tantum de oratoribus  
fermo esset. Ita est, si cum Mureto veritas: *Quo  
fit, ut oratores interdum imprudentes ab officio et mu-  
nere suo recedant, propius, quam par est, ea, de  
quibus dicunt, attingentes.* Ita enim verba τὰς  
ἀπροότας delentur, ut scholion imperiti lectoris,  
qui ad λανθάνουσι suppleret, quae supplenda non  
essent. Sed nisi iungas: λανθάνουσι καὶ μεταβλίνουσι,  
*imprudentes egrediuntur*, quod Graecum esse vix  
puto: tunc etiam alia mutatione opus est. Ari-  
stoteles haec in iis, quae sequuntur, dilucidius  
exponi declarat; at locus §. 21, qui nostro re-  
spondet, lucis haud multum affert, id quod post-  
ea notabitur.

Μᾶλλον ἀπτ. (ῆ) κατὰ τρόπον. Ab omnibus  
exemplaribus praeter Lips. ῆ abest. Edd. Ald.  
Baf. et Schol. Gr. post haec verba inserunt δέοντως,  
edd. Ven. Cam. & δέοντως. Δέοντως respondet ver-  
bis κατὰ τρόπον, et alterutrum scholion est. Con-  
iici possit in oratione Aristotelis antiquitus fuisse:  
*μᾶλλον ἀπτ. τὸ δέοντος, magis quam causae opus est.*  
Ita

Ita res accuratius definitur, quam lectione altera μάλλον ἢ κατὰ τρόπον: *in*so plus, minus recte; quam tamen, quod in libris omnibus et scriptis et impressis est, non deleverim. Ceterum ἢ inferatur, necesse est, quum adverbium comparativo sine hac vocula nusquam iungatur.

P. 15. §. 21. Ταῦτα δὲ, ὅσα τις ἀν βελτίω ἐκλέγῃται τὰς προτάσεις. Victorius post ἐκλέγῃται interpungit, et τὰς προτάσεις facit explicationem vocis ταῦτα. Dura ratio. Ed. Cam. habet βελτίως, manifestam correctionem, in qua tamen non perspicitur, quo modo βελτίως corrumpi potuerit. Contra Muretus τὰς προτάσεις omittit: quod praetulerim. Eiusmodi scholion facile adiiciebatur, ut ταῦτα illa quae sint, significaretur. L. III. 2, 7. eiusdemmodi scholion insidet.

Ἀθήσας ποιήσας ἄλλην τέχνην. Latet, alia arte oratorem fungi. Aristoteli hic usus τῷ λανθάνειν ποιήσαντα non infrequens est (cf. L. III. 2, 4. c. VII, 10.). Ut λανθάνῃ orator, eo efficitur, quod in dicendo callide elegit propositiones, quibus probet aliquid. Eius disputatio tam bene cohaeret, ut eum e causa egressum esse, nemo sentiat. Quo artificio auditores falluntur, non ipse artifex. Immo vero ipse artifex falli poterit. Si enim verba βελτίω ἐκλέγῃται ita accipiuntur: quo magis propositiones, quos eligit orator, quibusque utitur, ad causam suam appositae sunt, quo magis primas rei causas iis persequitur et attingit: hoc efficietur, ut inconsulto aliam artem exerceat. Ita λανθάνειν ποιήσαντα vim frequentiore[m] tenet: aliud agendo imprudentem aliud efficere. Atque haec



haec sententia iis, quae antecedunt, et quae sequuntur, illis quidem, praesertim si ex correctione Mureti scribuntur, magis convenire videtur.

P. 17. C. III. §. 6. Ὅτι ἐβοήθησε. Lectio ed. Ifingr. ὅτι ἐτιμώρησε ex Schol. Gr. videtur manasse.

P. 18. §. 9. Ὅτι μέγα ἢ μικρὸν ἢ τὸ δίκαιον ἢ τὸ ἄδικον. Planum est, τὸ δίκαιον et τὸ ἄδικον et quae sequuntur, esse subiectum, μέγα et μικρὸν praedicatum. Neque vero in hoc haereat quisquam, nisi in errorem inductus.

Περὶ ὧν ἐξ ἀνάγκης δεῖ λαβεῖν τὰς προτάσεις. Victorius et Maiorag. prementes verba ἐξ ἀνάγκης, haec de propositionibus communibus §. 3. et 9. explicatis accipiunt, quoniam earum usus est necessarius in quocunque genere orationis. Obstant vero ea, quae sequuntur: διαιρετὸν ἰδίᾳ περὶ ἐνάσε τέτων. Itaque haec seorsim illustranda, ex genere eorum sunt, περὶ ὧν δεῖ λαβεῖν τ. προτάσεις. Necessitas, quae significatur, ad id pertinet, quod iam omnia, quae probanda sint oratoribus, proposita sunt, ita ut uno ex his utaris necesse sit. Haec enim omnia hoc capite declarata sunt, et tota tractatio hac clausula finitur. Iam de singulis disserit.

P. 19. C. III. §. 2. Περὶ τέτων οὐκ ἐστὶ τυμβελή. Ita habent edd. Ifingr. Cam. Sylb. Contra edd. Ald. Bas. Victorii, περὶ δὲ τέτων, quae lectio omnium librorum scriptorum consensu defenditur. Item paullo post §. 3. in omnibus exemplaribus legitur: τοιαῦτα δ' ἐσιν. Cum τέτων et τοιαῦτα respondeant vocc. ὅσα, ὅσων: etiam hic δὲ in apostrophi

C

dosi

dosi positum est. Sensus eo non mutatur. Quare versionum testimonio in hac causa opus non est. Cf. c. I, 11.

P. 20. §. 6. Τῶ μεταβαίνειν ἐπισκευάζων εἰς ἐπισήμας. In nonnullis Victorii libris ἐπιματῶσθευάζων legitur. Aristoteles loquitur de hominibus, qui et Rhetoricam et Dialecticam καθάπερ ἐπισήμας exstruant. Iam hanc sententiam uberius explicaturus est. Quam, si, deleta voce ἐπισκευάζων, pergit: *istos homines migrare in alias disciplinas*, (ἀφανίζουσι τὴν φύσιν τῶ μεταβαίν. εἰς ἐπισήμας ὑποκειμένων πραγμάτων); non tam accurate expressit, quam si addit: *eiusmodi rhetor ἀφανίζει τὴν φύσιν αὐτῶν, ἐπισκευάζων (αὐτὰς) εἰς ἐπισήμας ὑποκ. πρ.* Praeterea cum Aristoteles adiciat haec: *ἀλλὰ μὴ μόνον λόγων*: apte non dixisset, eos, qui iusto modo tractent Rhetoricam et Dialecticam, μεταβαίνειν εἰς ἐπισήμας τῶν λόγων. Quenam disciplinae hoc nomine vocantur, Rhetorica et Dialectica nondum constituta? Contra iusta est oppositio τῶν πραγμάτων et τῶν λόγων, si rhetores, quos Aristoteles reprehendit, dicuntur in Logicis et Rhetoricis iuris prudentiam et utilitatis doctrinam subtiliter tractare, non disciplinam orationis et rationis. Ἐπισκευάζων εἰς ἐπισήμας ex consuetudine sermonis Gr. significat: *ὡς εἶναι ἐπισήμας*. Denique αὐτὰς, quod subauditur, ex verbis τὴν φύσιν αὐτῶν facillime elicitur. Illa, quae reprehenditur, Rhetorices tractatio fit quidem τῶ μεταβαίνειν, quod cum antecedenti enuntiato iungo: ἀφανίσας τῶ μεταβαίνειν: *si quis materiam ex aliis disciplinis corrasam huc transfert*. Sed si quid hoc loco inculcatum sit: verba τῶ

μετα-



μεταβαίνειν pūtem ab aliena manu profecta, et, ut caussa rei significaretur, adscripta esse. Scholii speciem multo magis prae se ferunt, quam aliud quidquam. Nec Schol. Gr. haec expressit, cum tamen cetera omnia reddiderit, sed ἐπισκευάζων, aequae ac nos, coniungit cum verbis εἰς ἐπισημας. Si auctoritate opus est huic interpretationi: non deest Mureti, vertentis: *Imprudens naturam ipsarum exstinguit et delet, transferendo, ita eas concinnans, ac si non dicendi modo, sed certarum rerum sibi propositarum scientiam et intelligentiam tradant.*

§. 9. Καὶ πόσην ἐνδέχεται. Ed. Cam. καὶ πόση ἐνδ.

P. 21. Πολέμους τίνους καὶ πῶς. Edd. Ald. Bas. Victor. Cam. πολ. πῶς καὶ τίνους. Illud ex ed. Sylb. est.

§. 11. Πρὸς τε τὰς κρείττους. Ed. Cam. minus recte τε omittit.

§. 12. Ταῦτα ἀναγκαῖον δύν. Edd. Ald. Bas. Cam. ταῦτα ἀναγκαῖα δύν.

P. 22. Οὕτω διατίθεται τὴν βίβλα. Τὴν βίβλα Schol. Gr. non videtur in cod. suo habuisse. Idem in edd. vett. deest.

In simili desumpto a deformitate nati tantum notatur, utramque deformitatem mutari et desinere. Non in eo vis exempli est, quid sit id, in quod utraque mutetur et abeat.

§. 13. Τὰς—ισορίας. Edd. Ald. Baf. Cam. αἱ — *ισορίας*. Item, ut videtur, plerique libri scripti Victorii, qui demum ex cod. antiquissimo casum quartum bene restituit.

Τὰ μέγιστα τοσαῦτά ἐσιν. Interpretes τὰ μέγιστα cum antecedentibus iungunt; Victorius contra cum verbis *τοσαῦτά ἐσιν*, nec sine causa. Aristoteles enim §. 7. promisit, ex infinito numero eorum, quae in deliberationem cadunt, quinque potissimum, quae maximi momenti essent, explicare. Iam se dicit absolvisse, verbis paene iisdem utens: τὰ μέγιστα τῶν τοσαῦτά ἐσιν. *De his dictum est.* Ἐχειν absolute significat: ἔχειν προτάσεις, εὐπορεῖν, ut c. VIII. extr. et alias. Neutiquam dicere posset Aristoteles, oratorem non nisi res, quae maximi momenti sunt, aut earum tantum summa capita intelligere debere.

P. 23. C. V. §. 2. Ὡς παραδείματος χάριν λάβωμεν. Iterum hoc loquendi genus legitur c. VIII, 2., eiusque haec videtur esse vis: *Rei illustrandae causa de felicitate disputemus.* Παράδειγμα est exemplar. Notione enim felicitatis exposita tanquam norma vult uti, qua iudicentur, quae de deliberatione dicenda sunt.

§. 3. Ὁ βίος ὁ μετὰ ἀσφ. Edd. Ald. Baf. Cam. ὁ βίος μετὰ ἀσφ.

§. 4. Χρησοφιλίαν, πλῆτον. Muretus πλῆτον omisit. Idem paullo post edd. vett. sequitur, quae σωφροσύνην, δικαιοσύνην mutato ordine habent.



P. 24. §. 6. Καὶ Φιλοργία Edd. Ald. Bas. Cam. Φιλοργία.

P. 25. §. 7. Νομισματα, πλήθος γῆς, χωρίων κτήσεις ἔτι δὲ ἐπίπλων κτήσεις. In Cod. Victorii, praeterquam quod νομισματος πλήθος et ante ἔτι δὲ verba mox repetita, πλήθει καὶ μεγέθει καὶ κάλλει διαφερόντων habet: utrobique κτήσεις in numero singulari legitur. In omnibus his sequitur eum Inpr. priscus teste Victorio et Morellio.

§. 9. Εὐεργεσία δὲ ἦ. Edd. Ald. Bas. Cam. ἦ.

P. 26. Ἀμφοτέροις γὰρ ἔχει, ὧν δέονται. Ἀμφοτέροις est masculinum. In dono inest utrisque, et pecuniae et honoris cupidis, id, cuius indigent. Aliis ἀμφοτέροις neutrum videbatur, quasi dictum esset: ἀμφοτέρα ἔχει, ὧν δέονται. Sed magis appositum est ad sententiam, si dicitur: infunt, quorum utrique indigent.

§. 14. Ἀγωνιστῆ δὲ τῷ σώματος. Edd. Ald. Bas. Cam. τῷ non habent.

§. 15. Οὐδ' ἄλυπος καὶ πολυχρόνιος, εἴτ' ἂν εὐτυχῆς διαμένειεν ἂν. Corporis fanitas et fortuna dicebantur caussae esse commodae senectutis. In lectione vulgata haec nunc praetermittitur. Quare praeclara est Mureti emendatio (Var. Lect. VII, 7.), qua ἄνυσ τύχης scripsit, neque audiendus est Christoph. Rufus, qui in Antexegem. (Gruteri Lampas T. II. p. 603.) eam reiicit, et ἂν μὴ εὐτυχῆς διαμένῃ corrigit. Haec mutatio altera multo audacior, neque tamen sententiae loci accommodata est. Nam εὐτυχῆς non solum signi-

significat, τύχην causam esse commodae senectutis, sed etiam adiunctam habet felicitatis notionem, quae huc non pertinet. Muretus praeterea εἴτ' delet, et εἰδ' ἀπαθήσ — διαμένειν ἄν iungit. Οὐτ' retinuerim. Est enim in omnibus libris scriptis et impressis, et melius cohaeret oratio, si eo retento veritas: *Commoda autem senectus est, cum et sera advenit et molestiae expers.* — *Nisi enim immunis a morbis et robustus quis fuerit: dolore non vacabit, ideoque neque molestia expers erit, neque diu vivet; neque sine fortuna his constanter fruatur.* Ita quod πολυχρόνιος est, non soli fortunae, sed etiam prosperae valetudini tribuitur, atque eo aperte spectant, quae sequuntur: *Est autem quaedam sine prospera valetudine et sine robore vitae producendae ratio.*

P. 28. §. 17. Ἐνίων μὲν ἄν καὶ αἴ τ. Edd. Ald. Bas. Victorii, Cam. ἐνίων μὲν καὶ ἄν αἴ τ. Ita, ut videtur, et Schol. Gr. Idem et ed. Cam. paullo post οἶον ὅσον pro οἶον ὅσων.

Ἐνδέχεται δὲ καὶ. Edd. Ald. Bas. δὲ, et postea in verbis οἶον εἰ οἱ ἄλλοι, vocolam εἰ omittunt.

\*Ἡ οἱ ἄλλοι Ed. Cam. ἢ εἰ ἄλλοι.

P. 29. C. VI. §. 1. Ληπτέον ἄν σοιχεῖα. Edd. Ald. Bas. Victorii, Isingr. Cam. Sylb. ληπτέον ἄν εἴη σοιχ. Nulla igitur auctoritate εἴη in exemplo Lips. omissum est, errore forsan typothetae.

§. 2. Ἔσω δὴ ἀγαθόν. Inde ab his verbis applicantur bonorum genera. Ne vero expectes, ut hic boni et utilis, aut c. V. felicitatis, aut  
postea



postea iusti honestique absolutae et subtilissimae definitiones exhibeantur. His Aristoteles de industria non est usus. C. X. extr. ipse declarat: *In hac disputatione cuiusque rei definitionibus contenti esse debemus, quae neque exquisitae sunt neque obscurae.* Potius partitionibus et singularum unius generis formarum descriptionibus utitur, et partibus enumerandis et definiendis universam utilitatem, honestatemve describit. Idque accommodate ad propositum suum. Nam in deliberatione, quae hic tractatur, de bono non quaeritur, quale sit, si universe consideretur *κατὰ τὴν θεωρίαν*, sed de bono *κατὰ τὰς πράξεις*. Praeterea eiusmodi partitiones paratam iam materiam praebent artis oratoriae studiosis, qua utantur in habendis orationibus. Facile probatur, bonum aliquid esse, si plene iam enumerata sunt singula, quae in singulis causis aut videntur bona esse aut sunt, adiuncta ratione, cur aut videantur aut sint. Ex subtili boni definitione utilitatem singulorum derivare, plus est negotii. Quae cum ita sint: intelligitur, non omnino et universe bona esse, quae hic inter bona numerantur. Multa ex his alio tempore forsitan nocent, aut non nisi iucunda sunt. Neque solus locus de utilitate ita explicatur: sed ad hunc eundem modum tractantur tantum non omnia in primo libro et secundi parte maiore; iustum, honestum, iucundum, ira, pudor, externae hominum affectiones, alia. Ut in libro secundo praemissis irae, pudoris definitionibus, singula, ob quae irascantur homines aut pudore afficiantur, singulaque, quibus irascantur et quae vereantur, hominum genera, recensentur ita, ut  
 ipsa

ipsa descriptione causa rei contineatur. Atque hae sunt, quae saepe dicuntur, *προτάσεις*, propositiones, ex quibus fit argumentatio, hoc vel illud bonum, honestumve, vel pudore irave dignum esse. Inde etiam perspicitur, non alienum esse a proposito, quod simillima hominum rerumque genera seorsim numerantur, ut c. VIII. §. 16. 17. 18. 19. Nam in singulis causis momenta utilitatis aliquanto diversa sunt, et si res, quas utiles esse probaturus es, vel paullo diversa sunt, aliquanto diversa propositione utaris necesse est. Praeterea vel fieri non potuit, vel nullo cum fructu factum esset, ut in hac propositionum enumeratione, iusta esset earum consecutio, et quae inter se similes sunt, coniungerentur. Ordinem igitur certum Aristoteles non tuetur in partibus singulorum generum, quae recenset, collocandis.

Φυλακτικὸν τῶν τοιάτων Edd. Ald. Bas. Φυλακτικὸν τέτων.

P. 30. §. 15. *Εὐφούα, μνήμαι*. Victorio plurale *μνήμαι* iure displicet. Vix enim pro *μνήμη* id positum invenias. Forsan *μνήμαι* ex c. V, 9. librarii menti adhuc obversabantur, praesertim quod et hic paullo ante de *τιμῇ* fermo fuit. *Μνήμη* scribendum est.

P. 31, §. 22. *Καὶ δὲ πην εὐχολήν Πριάμω*. Versus Homericus (Il. II. 176.) modo primis verbis tangitur. At hoc loco non de iactatione Priami agitur, sed de eo, quod versibus sequentibus dicitur:

λίποισ



## λίποιτε

Ἄργεῖν Ἐλένην, ἧς εἶνεκα πολλοὶ Ἀχαιῶν  
ἐν Τροίῃ ἀπόλοντο.

P. 32. §. 24. Ὁ οἱ ἐχθροὶ καὶ οἱ Φαῦλοι ἐπαυρῶσι  
Verbb. καὶ οἱ Φαῦλοι in Schol. Gr. vestigium nul-  
lum est; Muretus omisit, non sine specie, quo-  
niam sane fallax iudicium est in laude improba-  
rum. At de veritate enuntiatorum hoc in loco  
non quaeritur. Quia dixerit aliquis: Immo  
vero etiam improbi coguntur haec laudare, vir-  
tutemque agnoscere; Aristoteles illud dicere  
potuit.

Ὡσπερ καὶ Φαῦλοι, οὗς οἱ φίλοι ψέγουσι, καὶ ἀγα-  
θοὶ, οὗς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι διὸ λελοιδωρήθηται ὑπέλαβον  
Κορινθιοὶ ὑπὸ Σιμωνίδε ποιήσαντος Κορινθίοις δ' οὐ μέ-  
μεραται Ἴλιον. Locus corruptus et male explicatus,  
maxime a Schraderō. Hic vult, propter fortitu-  
dinem Glauci, qui Priamo in bello Troiano opem  
tulit, Lycii, sed Corintho oriundi, Corinthios  
a Troianis hostibus esse laudatos; id significasse  
Simonidem, et hoc esse exemplum enuntiatī:  
ἀγαθοὶ, ἐς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι. Ne exemplum qui-  
dem potest esse, nisi vim verbis attuleris. Glau-  
cum enim Troiani, ut amici, laudant, neque  
Corinthios, ut hostes, laudant, sed ut homines,  
quorum fortitudinem ex auxiliatore Glaucō co-  
gnoverint. Praeterea verba μὴ ψέγουσι vix quid-  
quam aliud sonant, quam ἐπαυρῶσι, quod etiam  
in edd. vett. eius loco legitur. Haec mera re-  
petitio sententiae paullo ante lectae: ἀγαθόν, ἐ οἱ  
ἐχθροὶ ἐπαυρῶσι, Aristotele indigna est. Errasse  
Schraderum maxime inde perpicitur, quod hoc  
loci sensu probato nemo intelligit, cur Corinthiū  
fe

se putaverint *λελοιδορήθαι*. Si Schraderum audias, id ferri plane non potest. Vidit hoc magnus ille Victorius, qui quanquam huic loco lucem non attulit; tamen cum Glauci illius mentionem fecisset, addit: *Nihil hoc ad sensum Aristotelis*. Nam hoc consilio, apparet, iambum Simonideum laudari, ut intelligatur causa, cur Corinthii se laesos esse opinarentur. Itaque de ratione, qua Corinthii verum intelligerent, nunc agitur, et haec eorum interpretatio debet convenire praecedentibus, quibuscum haec verba coniuncta sunt. Quoquo modo Simonides dictum suum intellexerit, ab Aristotele non significatur, et ne coniectura quidem satis probabili veram eiusmodi fragmenti sententiam assequi potueris. Quae igitur de amphibolia sententiae Simonideae in Commentariis disputantur, iis carere potuissimus. Corinthiorum explicatio, de qua hic quaeritur, tantum una est. De *ἐχθροῖς* postremo dicebatur; iam additur: *Illum hostibus Corinthiis non detrahit, non irascitur: quo dicto Corinthii se putabant ignominia notari*. Hoc in verbis: *διὸ λελοιδορήθαι ὑπέλαβον*, aperte inest, et necessario subauditur, Corinthios se putasse ut *φῶλοις* notari. Inde haec prodit sententia: *φῶλοι, οὗς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγῃσι*. Hanc ex ipsa iunctura sententiarum intelligitur in antecedentibus expressam esse debere; cumque expressa non sit: mendum in iis inest. Placeat fortasse lectio exempli Argent. *καὶ ἀγαθοὶ, οὗς οἱ ἐχθροὶ ψέγῃσι*, omissa vocula *μὴ*. Ita si convertis sententiam, *φῶλοι* sunt, quos hostes non vituperant: Corinthii videntur *φῶλοι* esse. Sed tunc conversa tantum propositio exemplo expressa est. Praeterea



terea μη, quod manifesto erat in codice Schol. Gr., non temere inculcari potuit. Restat una tantum eaque aptissima vitii tollendi ratio, qua Muretus in versione iam usus est. Vox ἀγαθοὶ delenda erit, ut scribas: καὶ οὐς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι seil. Φαῦλοι sunt. Ἀγαθοὶ cur adderetur, causa est manifesta. Schol. Gr. notat, *Corinthios versus Simonidis forsitan perperam intellexisse, cum non senserint, ἀγαθὸς εἶναι, οὐς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι.* Id paullo ante legebatur, et inde huc adiectum est, ne Aristoteles sibi ipse advesetur. Aristoteles tamen illud distinxit a verbis, οὐς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι, interiectis particulis ὡς περ καὶ. Cum enim hic ἀγαθὰ ἀμφισβητήσιμα tractentur: modo affirmatur, bonum id esse, quod hostes laudent, modo contrarium. Quemadmodum antea §. 21. legebatur: ἐστὶ δὲ οὐκ ἀεὶ τῶτο, ἀλλ' ὡς ἐπιτοπολὺ — οὐδὲν γὰρ καλῦει, ἐνίοτε συμφέρειν — ὅθεν λέγουται: plane eodem modo nunc: — οὐκ ἀεὶ ἀγαθόν, ὃ οἱ ἐχθροὶ ἐπαυγῶσι, ὡς περ καὶ Φαῦλοι, οὐς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι: διὸ κελαιδορῆσαι κτλ. In margine edit. Casaub. verba: οὐς οἱ φίλοι ψέγουσι scribuntur ita: οὐς οἱ Φαῦλοι οὐ ψέγουσι, quod quidem ex Schol. Gr. manavit, sed, vt opinor, etiam a Schol. perperam intellectum. Id enim qui quondam in exemplari suo adscripsit, explicationem enuntiati statim sequentis: οὐς οἱ ἐχθροὶ μὴ ψέγουσι, adscripsisse videtur. Alioquin iste lectionem prorsus ineptam constitueret.

§. 26. Προαιρένται δὲ πράττειν. Cum antea inde a §. 8. in singulis enuntiatis subaudiendum esset, ἀγαθὰ ἐστὶ τὰδε: in iis, quae usque ad finem capitis sequuntur, facilius suppletur, προαιρένται.

Τὰ

Τὰ δύναντα, τὰ εὐκαιτέργασα aptius dicuntur plerumque expeti, quam bona esse. Manifestior tamen haec ellipsis est §. 30. in his: καὶ μάλιστα ἕκαστοι, πρὸς ἃ τοιαῦτοι. Ibi necessario intelligitur: ἕκαστοι προαιρῶνται ταῦτα, πρὸς ἃ τοιαῦτοι: οἷον οἱ Φιλόνοιοι προαιρῶνται τι, εἰ νίκη ἔσται. Aristoteles cum a bonorum tractatione parumper diverterit, a proposito suo non deflexit. Bona enim ea de causa enumerare coeperat, quod haec sunt, quae eligi soleant.

§. 27. Ὅριζεται ἡ λύπη. Inpr. priscus teste Morellio ὀρίζονται.

P. 33. §. 28. Τὰ τε προσήμοντα Edd. Ald. Bas. τὰ γε προσήμοντα.

§. 30. Καὶ μάλιστα ἕκαστοι Edd. caedem et Cam. habent καὶ ἃ μάλιστα ἕκαστοι, et contra paullo post ἔν omittunt in verbis: περὶ μὲν ἔν αγαθῶ. A Victorius auctoritate cod. antiquissimi et prisca Inpr. delevit.

P. 34. C. VII. §. 3. Τὸ δὲ ἔνεκα τὰ ἄλλα — ταῦτα πεπονηθός. Haec parentheseos signis includenda sunt. Nam neque cum praecedentibus, neque cum iis, quae sequuntur, constructione cohaerent. Videntur autem hac de causa inserta esse, quod positis bonis, qui per se eligenda sint, ad propinquas notiones finis, qui per se expetitur (τῆ τέλει) et utilitatis privatae ferretur animus scribentis. Quare hae notiones appendicis loco illustrantur. Eadem coniunguntur §. 23.

Cetera



Cetera ita inter se cohaerent. In iis, quae parenthesin antecedunt, repetendo declaratur, plura esse genera bonorum. Atque haec est protasis, quae verbis, ὃ ἔπειτα τὰ τοιαῦτα, finitur. Apodosi, quae a voc. ἀνάγκη ordianda est, haec significantur: *Si plura ex his utilitatis generibus inter se coniuncta sunt, inde maius bonum existit, quam ex singulis.* Haec est prima significatio rei, quae aliis praestat utilitate. Iam sequuntur eiusmodi multa alia, in quibus tamen modo de utilitatis praestantia, modo non de utilitatis solum, sed univérse de excellentia alterius rei prae altera agitur.

In verbis, αὐτῷ δὲ ἀγαθὸν τὸ πρὸς αὐτὸν, est diversitas lectionis, cum in prisco Intrpr. αὐτὸ δὲ ἀγαθὸν legatur. Schol. Gr. expressis verbis et αὐτῷ δὲ ἀγαθὸν et αὐτὸ δὲ ἀγαθὸν laudat. Idem in verbis proximis non πρὸς αὐτὸν, sed πρὸς αὐτὸ in codice suo habuit, idemque est in edd. nonnullis.

§. 4. Οἶον εἰ ὁ μέγιστος — καὶ εἰ οἱ ἄνδρες. Edd. Ald. Bas. Cam. utrobique vocolam εἰ omittunt, quam Cam. contra in verbis interiectis addit: καὶ ὅλως εἰ οἱ ἄνδρες.

P. 35. §. 7. Ταῦτό γὰρ ἂν ἦν τῷ μείζονος ποιητικῷ εἶναι. Ita haec leguntur in exemp. Lips. et Bipont. in veteribus, omnibus τῆτο γὰρ ἂν ἦν τό. Victorius et Morellius ἂν omittunt. Victoriana lectio verti poterit: *Hoc enim significabat esse efficiens maioris.* Maioris boni efficientia maiora esse tunc ex eo probatur, quod ostensum sit, maioris rei efficientia maiora esse. Sed ostensum

sum id antea non est. Aristotelem igitur provocare oporteat ad enuntiationem, quae exciderit. Quod cum probari nequeat, ἦν ita accipi non potest. Neque causā, cur ἂν sit omittendum, notata est. Equidem ἂν ἦν contenderim cum constructione harum vocum in apodosi propositionum conditionalium. Sicut enim ibi vertitur, quasi scriptum sit; ἂν εἴη: ita hic verterim: *Si nulla alia de causa, idcirco fuerint maiora, quod maioris boni efficientia sunt; (τῶ ποιητικῶ εἶναι).* Leisionis τῶνδὲ sensus ita incommodus est, ut id erranti typographo deberi putes. Alii vertunt: *Hoc enim est maius;* perinde ac si ἐστὶ legeretur. Sed usum loquendi, quo imperfectum pro praesenti ponitur, ex poetis ad Aristotelem transferre noluerim.

§. 12. Καὶ δύοιν ἀρχαῖν. Ed. Ald. vitiose ἀρχῶν. Sensus est: *si duarum rerum utraque profecta est a causa aliqua, neutra res causa ipsa est: maius est id, quod a maiore causa efficitur.* Contra paulo post ἀναπαλιῶ δύοιν ἀρχαῖν significat: *ex duobus principis alterum etc.*

§. 13. Μείζον ἐστὶ Φαίνεσθαι καὶ γὰρ. Φαίνεσθαι et γὰρ in edd. vet. omissum, sed ex cod. Victorii et prisco Intpr. restitutum est.

Πάλιν δὲ καὶ Χαβρίας scil. κατηγορῶν Λεωδάμας. In Demosth. orat. Lept. §. 126. Chabrias a Leodamante accusatur, quae forsan eadem causa est, v. Wolfii Comm. p. 368.

P. 36. §. 14. Ἄλλον δὲ τύπον. Schol. Gr. et edd. ante Morell. τρόπον.



P. 37. §. 21. Καὶ ὁ κρίναται ἐν — οἱ Φρόνιμοι — ἀγαθὸν ἢ μείζον, ἀνάγκη ἕτως ἔχειν. Ita habent omnes Victorii libri scripti, Iatpr. priscus et edd. praeter Venetam et quae eam sequuntur. In Veneta est ἀγαθὸν μείζον, ommissa particula disiunctiva, quam lectionem Muretus in versione et Buhlius V. Cl. in ed. Bipont. expresserunt, quam tamen veram esse non puto. Nam constanti loquendi usu in his et aliis libris dicitur μείζον ἀγαθόν, non ἀγαθὸν μείζον. Antiqua lectio ita potest defendi. *Quod plurimi et sapientissimi et praestantissimi homines iudicaverunt in bonis esse, maius bonum est, quam quod pauci. Item, quod iidem iudicaverunt melius esse, quam aliud quid, id eo melius est.* Sed etiam sic aliqua difficultas in iunctura verbb. residet. Maluerim igitur non solam particulam ἢ, sed etiam ipsum ἀγαθόν dele- re, quod cum fortasse ex sequentibus et ex argu- mento totius loci additum fuerit, ἢ facile inter- iiciebatur. In multis huius capituli propositioni- bus modo significatur, quid maius sit, non quid maius bonum. Subauditur tunc ἀγαθόν, quo- niam quod de genere, id etiam de forma generis valet, idque nostro in loco postea declaratur. Schol. Gr. utrum coniecturam meam confirmet, an ἀγαθὸν μείζον legerit, non satis manife- stum est.

P. 38. §. 24. Ἡ τὸ καὶ αὐτό. Edd. Ald. Bas. Cam. τὸ omittunt.

§. 27. Οἷον εἰ τὸ ἀνδρείως κάλλιον. Ed. Ald. ei non habet, eadem, Bas. et Cam. ἀνδρείως καὶ κάλλιον.

§. 28.

§. 28. Καὶ ὁ οἱ ἀμφισβητῆντες. Edd. Ald. Bas. ὁ ἀμφισβητῆσαι, Cam. ὁ ἀμφισβητῆντες, utraeque male. Paulo post τὸ δὲ, οἱ κύριοι ex auctoritate cod. Victorii et ed. Ald. legitur.

§. 30. Καὶ ὧν αἱ ζημίαι μείζους. Ζημίαι a quibusdam interpretibus accipiuntur de iacturis, ὧν ἀποβολαὶ μείζους, et hanc rationem nonnullis scriptorum exemplis defendit Chr. Rufus l. l. p. 606. Nihil tamen impedit, quo minus ea, quorum poenae maiores sunt, flagitia sint, ita ut excellentia magnitudinis univérse declaretur. Ita vult Victorius. Praetulerim tamen, ut intelligantur bona, quorum neglectus et administratio mala maiores poenas luit.

P. 39. §. 31. Καὶ τὸ συντεθέναι δὲ καὶ ἐποικοδομεῖν, scilicet μῆζον φαίνεται, negligentius dictum pro τὰ συντεθέντα καὶ ἐποικοδομημένα. Eodem modo paullo post intelligendum est, καὶ ὅτι τὸ συντεθέν ἀρχὴ φαίνεται. Fragmentum carminis, in quo Epicharmus ἐποικοδομεῖ in Accorambii Animadvv. ad hunc locum ex libro quodam scripto vulgatum est. Schol. Gr. non versus quidem, sed sententiam Epicharmi plane eandem expressit: ἐφόνευσα τὸν τύραννον, εἰ μόνου τὸν τύραννον, ἀλλὰ καὶ τὸν τύραννον καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὰς παῖδας καὶ τὰς ἐφεξῆς τὰς πάντας ἢ εἴ τι τυχὸν μέχρι τῶν τριάκοντα ἡρίθμει. Incertum tamen est, an Aristoteli, cum haec scriberet, hoc Epicharmi dictum in animo fuerit: nam Athenaeus l. II. c. 2. aliud exemplum affert, quo Epicharmus enuntiata cumulat et quasi inaedificat. Cuiusmodi cum sine dubio plura exempla eaque nota essent; non putaverim

τίμη



rim fingulare aliquid hic significari, aut ex oratione Aristotelis excidisse.

§. 32. Καὶ παρὰ τὰς ὁμοίους. Cum in edd. vett. παρὰ τὰς ἄλλας legatur: vulgatum, quod et Schol. Gr. tuetur, ex cod. Victorii recte restitutum est.

§. 33. Αὐτοφύες τῆ ἐπιτηγῆ· χαλεπώτερον γάρ. Haec Victorius eo refert, quod difficile est, id, quod a natura tribui oporteat, studio et industria comparare. Petitus Misc. Obsf. I, 20. χαλεπώτερον, quia antea cum voc. σπανιώτερον iunctum fuerat, vertit: *varius et pretiosus*, contra usum linguae. Mallet equidem αὐτοφύες, *nativum*, latius accipere, ut non modo insitum, sed etiam id, quod *domi nascitur*, significet. Te tibi ipsum aliquid comparare difficilium est, quam accipere ab aliis. Itaque difficilium est, αὐτοδίδακτον excellere, quam aliorum institutione adiutum. In verbis, αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, edd. Ald. Bas. Cam. δ' omittunt.

P. 40. §. 35. Καὶ τὸ αὐτῷ ἢ ἀπλῶς. Vera haec lectio est ex libro quodam scripto Victorii. In edd. vett. est: καὶ τὸ αὐτὸ καὶ ἀπλῶς. Alii libri scripti et priscus Intpr. καὶ τὸ αὐτῷ καὶ ἀπλῶς, itemque Cod. antiquissimus, nisi quod ibi καὶ expunctum, et ἢ superimpositum est. Quarum lectionum omnium vestigia sunt in Schol. Gr. in quo praeterea non solum ἀπλῶς expressum est, sed aliis etiam ἄλλοις aut ἄλλως videtur lectum fuisse. Locus, ni fallor, ita corrumpebatur, ut τὸ ἀπλῶς explicaretur, *quod uni prodest*, τὸ αὐτῷ, *quod singulis*; vel ita, ut orta lectione τὸ αὐτὸ, *ipsum bonum*, cum his verbis coniungendum vi-

D

dere-

deretur τὸ ἀπλῶς, quod universe prodest. Utraque ratione opus erat vocula copulativa καὶ, non disiunctiva. Sed vocc. τὸ αὐτῷ et τὸ ἀπλῶς saepe in his libris leguntur; hoc utilitatem universe patentem, illud privatam significat. Itaque opponuntur.

Καὶ τὸ δυνατὸν — τὸ μὲν γὰρ αὐτῷ, τὸ δ' ἑ. Τὸ δυνατὸν cohaeret cum τῷ τέλει; nam, cum fieri possit, ut id, quod sequimur, attingatur: hoc magis expetendum est, quam cum id fieri non possit. In pronuntiato, quod statim sequitur, et quo caussa rei adiicitur, haec supplenda sunt: τὸ μὲν γὰρ δυνατὸν ἔσεται αὐτῷ, *assequetur id, quod fieri potest, eoque invabitur.* Hoc plane diversum est a forma loquendi, de qua modo diximus, τὸ αὐτῷ scil. ἀγαθόν vel καλόν.

Μᾶλλον τὰ πρὸς τῷ τέλει. Victorius meliorum codd. scriptorum et edd. Ald. Ven. consensu dedit hanc lectionem, quae per se melior est, quam altera: μᾶλλον ἢ τὰ πρὸς τῷ τέλει. Haec in Schol. Gr. et in edd. Isingr. Cam. Bipont. invenitur; eaque posita, distinguuntur τὰ ἐν τέλει τῷ βίῃ et τὰ πρὸς τῷ τέλει, illa ad finem pertinent, haec a fine remota sunt. Sed haec distinctio non est vera, quia πρὸς τῷ τέλει id non significat. Quare lectionem priorem praefero. In voce τῷ βίῃ videtur vis orationis inesse. Antea de fine universe disputabatur; nunc de fine τῷ βίῃ h. e. de eo, quo propositum totius vitae continetur. Atque hic est verus finis. Quae igitur ad verum hunc finem pertinent (τὰ πρὸς τῷ τέλει), magis sunt fines, quam alia. Si τέλος τῷ βίῃ de  
vita





vita extrema accipitur: cetera non satis conveniunt. Tunc enim vocabulum τέλος in diversis significatibus parum accurate coniungitur. Muretus legebat: Καὶ τὰ πρὸς τῷ τέλει, ut novum genus bonorum excellentium.

§. 40. Διὸ τὸ πλετεῖν Φανεῖν ἂν μείζον ἀγαθὸν τῷ δοκεῖν. Altera lectio est ex ed. Ven. διὸ τὸ πλετεῖν καὶ δοκεῖν Φανεῖν κτλ. Muretus correxit: διὸ τὸ πλετεῖν καὶ δοκεῖν Φανεῖν ἂν μείζον ἀγαθὸν τῷ πλετεῖν. Quae tamen omnia sententiam non satis explent. In codd. Victorii paene omnibus et in prisco Intpr. deest τὸ δοκεῖν, quod in Veneta additur. Locus manifesto corruptus est. Haec enim propositio est exemplum eorum, quae antecedunt: *Quae cum adsint, non lateant, praestare iis, quae lateant.* Expectaveris igitur, ut dicatur: διὸ τὸ πλετεῖν καὶ δοκεῖν Φανεῖν ἂν μείζον ἀγαθὸν τῷ (πλετεῖν καὶ) μὴ δοκεῖν. Subaudiri potest posterius πλετεῖν, sed μὴ δοκεῖν abesse non potest, quoniam in latendo est vis huius exempli. Itaque isto modo putaverim Aristotelem scripsisse, neque dura est mutatio, quoniam in voce δοκεῖν manifesta corruptelae sedes est. Ad sententiam potest conferri c. V, 7. *πλετον μᾶλλον εἶναι ἐν τῷ χρῆσθαι ἢ ἐν τῷ κτῆσθαι.* Maluerim tamen hoc exemplum ex alio loco, ubi vel ad orationem Aristotelis pertineret, vel margini adscriptum esset, huc esse translatum. Ut ad verba §. 37. *ὅσα εἶναι μᾶλλον ἢ δοκεῖν βέλονται,* maxime sunt apposita, quae nostro in loco vulgo leguntur. Causa, cur translatum fuerit, est in similitudine argumenti et in iis, quae antecedunt: *πρὸς ἀλήθειαν γὰρ τείνει ταῦτα.* Ad haec quoque exem-



exemplum conformabatur, si non aliunde translatum, sed corruptum est. Utramque coniecturam meam firmat Schol. Gr. qui locum nostrum expressit his: Καὶ τὸ πλετεῖν καὶ φαίνεσθαι μείζον τῆ πλετεῖν καὶ μὴ φαίνεσθαι. Ad §. 37. vero exemplum hoc habet: καὶ μᾶλλον ἔχειν τις πλετεῖν βούλεται ἢ δοκεῖν.

P. 41. C. VIII. §. 2. Τὸ σῶζον τὴν πολιτείαν, quod *conservat statum rei publicae*. Edd. vett. et Bipont. τὴν πόλιν. Contra vulgatum propter auctoritatem meliorum Victorii codd. priscae Intpr. et Schol. Gr. iure praefertur. Nam in iis, quae antecedunt et quae sequuntur, de diversitate status rerum publicarum (τῶν πολιτείων), h. e. de formis civitatum diversis agitur. Itaque πολιτεία est status rei publicae, quo eodem sensu πόλις, si reciperetur haec lectio, intelligenda esset. Ne quis cum editore novissimo existimet, incommode dici: *conducit id, quod conservat statum rei publicae*, quoniam in pessima civitatis constitutione id non proffit. In eiusmodi pronuntiatis fumitur, rem publicam bene esse constitutam, idque eo facilius fumebatur apud veteres, quo sanctiora et antiquiora haberentur instituta patriae.

§. 3. Εἰσι δὲ πολιτεῖαι τέσσαρες. Aristoteles hic quatuor, aut potius, divisa postea monarchia, quinque partes facit formarum rei publicae. In Politicis (III, 7. III, 2.) sex constituuntur. Duplici ratione ibi distinguuntur, primo, utrum rectae, an pravae; dein ex diversitate eorum, penes quos in unaquaque potestas est. Nostro



Nostro in loco nonnisi posteriori ratione. Atque ita Oligarchia et Aristocratia hic discernuntur, quia alii in hac, alii in illa imperant. In Monarchia contra aequae ac in Tyrannide idem unus est, qui regnet; itemque in Politia, proprio nomine ita vocata in qua eadem multitudo, sed in Politia, hic praetermissa, accommodate ad communem utilitatem rem publicam administrat. Accurata tractatione hic nihil opus erat. Ab ipso Aristotele ad libros de Republica ablegamur.

§. 4. Ἐν ᾗ οἱ κατὰ παιδείαν. Ed. Cam. οἱ non habet.

P. 42. §. 5. Τὰ πρὸς παιδείαν. Inpr. priscus et cod. Victorii *περὶ παιδείαν*.

Καὶ τὰ νόμιμα τυράννιδος δὲ Φυλακῆ. Aristoteles hoc loco distinguit fines, singulis rebus publicis propositos. Saepe utitur eiusmodi partitionibus; in quibus opposita accurate explicantur. Quare mirum videtur, praetermissum esse βασιλείας τέλος. Ex Schraderi sententia *τύραννις* simul complectitur βασιλείαν. Quod ut in aliis locis interdum inveniatur, siquidem *τύραννος* apud veteres pro *μονάρχῃ* dicitur: id hic locum habere non potest. Hic enim distinguuntur βασιλεία et *τύραννις*, ut diversae rerum publicarum formae. *Μοναρχίας* δὲ Φυλακῆ scribendum erat, nisi Aristotelem iusto negligentius scripsisse dixeris. Itaque sine dubio exciderunt ea, quibus finis βασιλείας significaretur. At quae in Schol. Gr. in edd. vett. et inde in versione Mureti, inseruntur verba: βασιλείας δὲ τὸ ἐνόμιμας ἐπιστατεῖν, ea loco



loco non quadrant. Perspicitur id ex diversitate sententiarum. Ἐλευθερία enim, πλῆτος et Φυλακή, quae his verbis respondent, sunt ea, quae assequi cupiant diversis rebus publicis subiecti praefective. Τὸ ἐννόμως ἐπιστατεῖν vero est via, qua tenditur ad finem, non ipse finis. Iam primo tempore lacuna in hoc loco videtur orta esse, quae cum in aliis codicibus coiret; in aliis hoc, quod declaravi, inciso expleta videtur. Quid vero exciderit, coniectura non assequor, neque ex libris Politicis id tuto colligi poterit. Fortasse etiam in verbis, ἀριστοκρατίας δὲ τὰ πρὸς παιδείαν, mendum aliquod inest, quanquam in omnibus libris ita legantur. Nam luculenter antea declaratum est, non τὰ πρὸς τέλος, sed ipsa τέλη hic spectari. Expectaveris igitur, ἀριστοκρατίας παιδεία scriptum esse. Ita Schol. Gr. habet: ἀριστοκρατίας τέλος παιδεία καὶ νόμοι. Φυλακὴν de securitate tyranni explicant. Forfan est potius securitas civitatis ab externis hostibus defensionis.

§. 5. Ὅτι τὰ πρὸς τέλος. Edd. Ald. Bas. Cam. πρὸς τὸ τέλος. Eaedem edd. et quidam libri scripti paullo post §. 6. τὸ μὲν γὰρ ἐκάσθῃ ἦθος. Vulgatum ἐκάσθῃ est ex cod. Victorii.

§. 7. Ἐπι δὲ περὶ τῶν κατὰ τὰς πολιτείας. Edd. eaedem: ἐπι δὲ τῶν περὶ τὰς πολιτείας ἦθων. Illud ex cod. Victorii et prisco Intpr. bene repositum est.

P. 43. C. VIII. §. 4. Φυλακτικὴ καὶ δύναμις. Edd. Ald. Bas. Cam. καὶ omittunt et voces has iungunt. Contra Cam. §. 6. ἢ ἀρετὴ καὶ δύναμις, addito καὶ.

§. 6.



§. 6. Γὰρ ἐν πολέμῳ. Edd. Ald. Bas. Cam. ἐν non habent, contra paullo post ἐσι interiiciunt: χρήσιμός ἐσι αὐτοῖς.

P. 44. §. 8. Καὶ ὑπηρετικοὶ τῷ νόμῳ. Edd. Ald. Bas. ὑπηρετικῆ. Eaedem §. 9. in verbis ἡδονὰς τῷ σώματος omittunt articulum τῷ.

§. 12. Μικροψυχία δὲ τὴναντίον puto scholion esse, assentiens Mureto, qui haec non verit. Μικροψυχία enim paullo post iterum notatur. Schol. Gr. et Victorius repetitionis hanc volunt esse causam, quod μικροπρεπείη duo vitia opposita sint. Tunc vero etiam ἀνελευθερία opponi debebat, ut tertium, et forsitan plura.

§. 14. Τὰ τε σημεία. Edd. Ald. Bas. τε omitunt.

P. 45. §. 15. Ἐπὶ τὸ ζημιῶσαι. Ed. Lips. sequitur Ald. et Isingr. Exempla cetera ἐπὶ τῷ.

§. 18. Ἔχει τὰ ζῶντι. Est emendatio, quae Victorii ingenio debetur. Idem Schol. Gr. habet. Edd. vett. et libri scripti τὰ ζῶντα.

§. 20. Περὶ τῷ δικαίῳ. Ex solo cod. Victorii restitutum est; edd. vett. et codd. ceteri perperam περὶ ᾧ δικαίῳ.

P. 46. §. 21. Καὶ αἱ τῶν φύσει. Ed. Cam. αἱ non habet.

§. 27. Ἐλευθέρε γὰρ, τό. Vera haec lectio cod. Victorii et prisco Intpr. debetur. Edd. vett. ἐλευθερίου.

§. 28. Τὸν εὐλαβῆ καὶ εὐψυχον. Muretus verit: in rebus agendis frigidus. Expresfit igitur ψυχρόν,

ψυχρόν, quod poscente sententia ex cod. Victorii et vetere versione Latina Schraderi reducendum est. Schraderus dicit, etiam Aegidium Romanum in versione, Commentario suo subiecta, ψυχρόν expressisse, quamvis Victorius et Morell. ex suis Inpr. prisci exemplaribus nihil notent diversitatis. Ἐψυχρος sensum idoneum non fundit. Nam cum explicetur vel *bene moratus*, vel *prudens*; haec significatio vocabulo, illa loco non convenit. Si enim verteris: *ut cautum et bene moratum* (dicere oportet) *timidum et insidiatorem*: ἐπιβουλος is est, qui solam bonorum morum speciem prae se fert, qua captet animos hominum, iisque insidietur: idque sane longius petum est. Huc accedit, quod ψυχρόν profecto non explicationis causa margini adscriptum inde in orationem irrepfit; contra a librario, qui huius vocabuli in hoc loco sensum non attingeret, facile mutari potuit.

P. 47. §. 29. Προστικὸς τοῖς πολλοῖς. Edd. Ald. Bas. προσηρητικὸς. Paulo post §. 30. Muretus verba ἢ φιλοσόφοις omittit.

§. 31. Ἡ μείζων γινόμενος. Edd. Ald. Bas. Cam. γενόμενος, idque, ni fallor, melius.

Καὶ καταλλακτικώτερος. Teste Morellio prifcus Inpr. vertit: *et in aliis operosior*, ut legerit, καὶ ἄλλα πρακτικώτερος. Schol. Gr. utramque lectionem notat, πρακτικώτερος vero in codice suo habuit.

P. 48. §. 33. Ἐστὶ δ' ἔπανος λόγος κτλ. Difficilior est huius loci sententia, et constructio interpunctione prava laborat. Declarari discrimen, quod



quod inter ἔπαινον, ἐγκώμιον et μνηρισμὸν sive εὐδαμονισμόν intercedit, interpretum consensu constat. Distingui praeterea πράξεις et ἔργα, Sturmius putat, secutus speciem (cf. §. 32.). Sed pervertitur loci sententia, si harum vocum diversitas ultra quam huc extenditur. Πράξις est actio, quatenus agitur, ἔργον res gesta, facinus perpetratum, adiuncta effectus significatione (cf. etiam Plat. Menon. c. 40. init.). Πράξεως igitur consensus cum praeceptis virtutis demonstrandus est, et haec est laus. Itaque cum dicitur δὲ τὰς πράξεις ἐπιδεικνύουσι ὡς τοιαῦται: in verbis ultimis est vis orationis. Haec verba cum antecedentibus artius cohaerent; quare ante δὲ colo et post τοιαῦται maxima interpunctione utendum est. In laudatione (ἐγκωμίῳ) vero res gestae enumerantur et describuntur, et orator laudatione fungens operam non in eo ponit, ut ostendat, hanc partem propositi huic virtuti, illi illam convenire. Hoc sumit et amplificando magnitudinem rei exprimit. Potius res istas revera gestas esse, confirmat ex rebus externis, unde simul novus fons laudis manat in hominem, cuius est laudatio; (τὰ δὲ κύκλω εἰς πῖσιν). Post εἶναι maxima interpunctione, post πράξαντας colo interpungendum est. Nam propositio διὸ — πράξαντας cum antecedentibus non ita coniuncta est, ut eius causa in istis insit, quam tamen inesse propter voculam διὸ oporteret, si constructione necerentur. Contra enuntiatum τὰ δ' ἔργα — εἶναι arte cohaeret cum vocabulo πράξαντας. Verba πράξαντας et μὴ πεπραχότα sibi respondent, et propositio, διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας, ideo ex ante dictis repetita est, ut adiungeretur: etiam alium



aliud quemdam laudari, τὸν μὴ πεπραχότα, id quod duplici particula καὶ quoque significatur. Itaque utrique laudantur, et qui res gesserunt, et qui nondum gesserunt, sed si occasio data fuisset, gessisse existimandi sunt. Utrorumque vero inter commendationem hoc differt, quod illorum ἐγκώμιον est, res gestae enumerari et extolli possunt; his nonnisi ἔπανος quadrat, quod modo demonstrari potest, eos esse tales, a quibus praeclarum facinus expectari possit. Posterius pronuntiatum: laudari etiam μὴ πεπραχότα, ab Aristotele confirmatur his: τὰ ἔργα σημεῖα τῆς ἕξως ἐστὶ; quo tamen inciso iunctura verborum interrumpitur. Aristoteles parumper ex instituta constructione excidit. Plinius scripsisset: διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας καὶ ἐπαυμένους καὶ μὴ πεπραχότα, εἰ πισυόμεν εἶναι ταῦτον, ἐπειπερ τὰ ἔργα σημεῖα τῆς ἕξως ἐστὶ. Siquidem quo quis sit habitu animi, ex operibus indicatur; contra ex animi habitu de operibus existimari potest. Hoc argumentum coniunctum est cum iis, quae ante dicta sunt, ex virtute maiorum et institutionis genere colligi posse, ex hac gente natum et ita educatum esse talem; h. e. esse tali animi habitu praeditum. Atque hunc nexum spectat particula διὸ. Ne cogites de expellendo enuntiato: διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας, ut ex superioribus huc translato. Eo enim expulso antecedentia non satis cohaerent cum sequentibus. Alii hoc ipso in loco premunt discrimen inter πράξεις et ἔργα. Nullo sententiae commo. In τοῖς πράξεσι vel actio et propositum considerari potest, vel effectus et euentum. Posterius hoc loco spectatur.

Ex



Ex Schol. Gr. intelligitur in nonnullis codd. olim lectum fuisse *εὐγένεια καὶ εὐήθεια* pro καὶ *παιδεία*. Praefert tamen vulgatum, ut ad ea, quae sequuntur, magis appositum.

P. 49. §. 38. Παρὰ τὸ προσήμιον. Schol. Gr. εἰ παρὰ τὸ προσήμιον.

Καὶ εἰς ὃν πρῶτον. Edd. Ald. Bas. εἰς ὅ.

Καὶ Ἀρμόδιον — τὸ ἐν ἀγορᾷ *εὐαθῆναι*. Constructio verborum est paullo implicatior. Nam in antecedentibus nihil est, cui subaudito casus quartus necesse possit. *Εἰς* ex voce. *εἰς Ἰππόλοχου* repeti nequit. Quare Victorius post *Ἰππόλοχου* maximam interpunctionem collocat. At articulus impedit, quo minus iungi possit *Ἀρμόδιον εὐαθῆναι*. Coniicio post *καὶ* excidisse voculam *Δι*. Tunc ex antecedentibus intelligitur *εὐρηται δι' Ἀρμόδιον*. Maxime laetor, spectatissimo Wolfii iudicio coniecturam meam probari.

*Διὰ τὴν συνήθειαν τῆ διολογείν*. Edd. vett. *διαιολογείν* (cf. c. I, 11.). In cod. Victorii et ed. Ven. est *ἀσυνήθειαν*, quod ne putes esse ideo praefarendum, quod verisimile fuerit, Isocrati invidisse Aristotelem. Si carpitur Isocrates, convicium non rusticum esse oportet. Hic autem de scribendis orationibus sermo est, non de recitandis. Nullo igitur modo *ἀσυνήθεια* eo referri possit, quod Isocrates nullas in foro orationes habuit. Isocratem vero artis, quae scribendis orationibus continetur, rudem esse, Aristoteles dicere non potuit; ne acerrimus quidem hostis potuisset. Reprehensio, si qua esset, in eo esset posita, quod Isocrates modo iudiciales orationes scri-



scripserit, earumque indolem ad cetera genera transtulerit. Quod si alibi datur vitio (cf. c. I, 10.), hic non datur. Aristoteles enim praecipit, ut, quos velis laudare, cum aliis contendas, id quod caussarum patroni soleant facere. Idem l. III. 17, 10. commendatur. Itaque *συνήθειαν* recte habet. Isocrates non carpitur, neque Aristoteles, ubi in aliis huius operis locis eum nominatim citat, in eum acerbus est.

§. 39. Πρὸς τὰς ἄλλας. Notatum est in cod. Victorii, alios libros habere *πρὸς τὰς πολλὰς*, idque est in Intpr. prisco et Schol. Gr. Haec lectio iure recepta est in edd. Isingr. Bipont.

P. 50. §. 40. Διὰ τὸ ἀσαφές. Edd. Isingr. et Bipont. et Intpr. priscus *διὰ τὸ σαφές*, quod ita vertitur: *demonstrationem maxime recipit id, quod factum est, cum clarum sit.* At cum res perspicua sit, demonstratione non indiget. *δέχεται ἐπίδειξιν μάλιστα* non significat: *facilius adhibetur demonstratio*, sed: *locus demonstrationis maxime in iudiciali genere est.* Ibi enim disputatur, utrum aliquid factum sit, nec ne. Atque hoc est τὸ ἀσαφές τῆ γεγονότος. Quod vero *δέχεται* hac significatione pronuntiatum sit, intelligitur ex locis similibus, qui antecedunt: *αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη ἐστὶ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς* potuit etiam hunc ad modum exprimi: *τὴν αὔξησιν μάλιστα δέχεται τὸ παρὸν, utpote ὁμολογούμενον et σαφές.* Quare *ἀσαφές* est vera lectio.

P. 51. C. X. §. 3. Εἰδότες ἅπαντα. Ex ed. Ven. manavit altera lectio *ἐόντες καὶ εἰδότες ἅπαντα.* At libri scripti Victorii *ἐόντες καὶ* non agnoscunt.



§. 4. Περὶ τὸ δίκαιον καὶ ἀδίκιον. Vera haec lectio est in optimis libris scriptis, prisco Intrpr. et Schol. Gr. Edd. vett. δίκαιον καὶ ἀγαθόν. Paulo post haec defunt in edd. Ald. Baf. ὁ δ' ἀναίχυντος δι' ὀλιγαρίαν δόξης.

§. 5. Πῶς ἔχοντες ἀδικῆσαι ex codd. scriptis Victorius restituit. Edd. vett. πῶς ἔχουσι ἀδικῆντες.

P. 52. §. 7. Πάντες δὲ. Intrpr. prisca et edd. vett. πάντες δέ. Edd. Ald. Baf. Cam. paulo post in verbis: δι' αὐτὲς καὶ ὧν omittunt καί. Ibid. pro τὰ δὲ δι' ἀλόγισον, cod. Victorii δι' ἄλογον.

P. 53. §. 9. Δι' ἡδῆ καὶ πᾶδῆ. In ed. Ifingr. scriptum est, δι' ἔδῆ, quod ferri nequit. Nam de consuetudine non disputatur, sed de iis, qui κατὰ τὰς ἔξεις καὶ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν agunt. Ἡδῆ intellexerim de *proposito et consilio*. Quod enim sequitur §. 10. δόξα καὶ ἐπιθυμία, videtur his verbis respondere.

§. 10. Εὐδὺς γὰρ ἴσως τῷ μὲν σώφρονι. Ἴσως verterim: *forte vel verbi causa*, non *fortasse*. Nam non dicitur: *fortasse sequuntur* etc. Sed ἴσως pertinet ad id, quod Aristoteles ex toto virtutum genere forte unam sumit, ut exemplum. Etiam alibi vocabulum sic legitur.

Περὶ τῶν ἡδονῶν. Teste Morellio in prisca Intrpr. legitur *circa delectabilia*, ut περὶ τὰ ἡδῶα expresserit. Victorius dicit eum expressisse περὶ τῶν ἡδέων, quod cod. antiquiss. habet.

§. 11. Πλατεῖν δοκεῖτω. Idem cod. antiquiss. πλατεῖν δοκῶν ἑαυτῷ. Teste Morellio in nonnullis libris scriptis est δοκεῖ τῷ, quod Victorius ante coniecerat.

§. 13.

§. 13. Ἐν αὐτοῖς καὶ τεταγμένη. Edd. Ald. Bas. Cam. τεταγμένως. Illud est ex cod. Victorii et prisco Intpr.

P. 56. C. XI. §. 5. Σώματος ὑπάρχουσα. Ed. Cam. ὑπάρχουσα. Paulo post pro τροφῆς ἐπιθυμία cod. Victorii habet, τροφῆς εἶδος ἐπιθυμίας.

§. 6. Δῆλον ὅτι. Hinc incipit apodosis, non a verbis, καὶ τῷ. Nam propositio, καὶ τῷ — ἐλπίζει necessario pertinet ad protasim: alioquin id, quod primo enuntiato, ἐπεὶ δ' ἔστι — πάθος ponebatur, apodosi non exhauriretur. Sententia loci haec est: *quum sensu percipiatur id, quod iucundum est, cumque etiam in spe et recordatione sensum aliquem rei optatae vel perceptae inesse dixeris, quoniam, quae in spe et recordatione inest φαντασία τις, vicina est αἰσθήσει: perspicuum est, ex recordatione rei (iucundae) voluptatem percipi.* Et δὲ τρίτο insertum est, ut argumenta ante edentia cogitatione repetantur. L. II. 2, 3. prope eadem sunt periodi compages.

P. 57. §. II. Ποῦντες αἰεὶ τι περὶ τῷ ἐρωμένῳ. Ex idiomate linguae Gr. αἰεὶ pertinet ad voc. χαίρουσι. Haec enim sententia est: *quotiescunque colloquuntur, scribunt, versusve faciunt de amoribus suis, semper laetantur.* Non dicuntur isti perpetuo colloqui etc.

P. 58. Ὅταν — χαίρουσιν. Ed. Cam. χαίρωσιν, idque melius.

Ὅταν λυπηρὸς γένηται. Cod. Victorii προσγένηται. Schol. Gf. hoc vocabulum etiam in sermone suo habet, quid vero in eius codice lectum fuerit, non dixerim.



§. 12. Ἐπὶ τῷ μὴ ὑπάρχειν. Teste Morellio priscus Intpr. legit *περὶ τῆ μὴ ὑπάρχειν*.

§. 15. Καὶ ἐριστικός. Ita habent cod. Victorii, priscus Intpr. edd. Ald. Ven. Altera lectio est *ἐρωτικός*. Neutrum aptum. Felicissima emendatione Toupius (Cur. in Suid. P. III. p. 461.) scripsit, καὶ κιδαρικός. Ut enim taceam, *ἀθλητικός* et *κιδαρικός* saepissime iungi, ut in Aristot. Poët. et certamina, quae in amicorum circulis disputando inirentur, (*παιδικὸς ἐριστικός*) illi aetati sine auctoritate tribui, ad confirmandam emendationem maxime pertinere videtur, quod, si hoc vocabulo novum ludorum genus notatum fuisset, articulus necessario repeti debuisset, ut in antecedentibus. Cum vero idem vir ingeniosissimus cum his verbis statim necitat καὶ ἀεραγυλλισεῖς, expulsis aut loco motis iis, quae interiecta sunt: haec verborum translatio minus placet. Παιδικὰ μαχητικὰ, ἀθλητικὰ, κιδαρικὰ sunt ludi aliquanto feriores: leviores, ἀεραγυλλισεῖς κτλ. quae sequuntur, interiecto pronuntiato aliquo et interrupto constructionis vinculo iungi, a ratione dicendi Aristotelea plane non abhorret.

P. 59. §. 16. Ὡς τις πολὺ καταφρονεῖ. Ita omnes libri scripti Victorii. Ed. Ald. *καταφρονεῖν*, Cam. *καταφρονῶν*.

P. 60. §. 20. Τὸ διὰ χρόνου. Edd. Ald. Bas. Cam. *διὰ τῆ χρόνου*.

§. 21. Τὸ ἐπιθυμεῖν μαθεῖν. In ed. Ald. deest *μαθεῖν*, quod maxime eam ob causam suspectum est, quod τὸ θαυμάζειν iucundum esse, ex eo probatur, quod cum τῷ *μαθεῖν* coniunctum est;

est; ipsum vero discere in iucundis esse, postea demum ostenditur.

§. 23. Ἀνάγκη ἡδέα εἶναι. Nonnulli libri scripti, ἀνάγκη δέ.

Μεμιμημένον, ὥσπερ γραφικὴ κτλ. Γραφικὴ et ἀνδριαντοποιία et ποιητικὴ non sunt res imitatione expressae (μεμιμημένα). Quare Victorius vult artibus significari opera iis perfecta, quod durius est. Twiningius (Aristotle's treatise on poëtry translated with notes and dissertations Lond. 1789.) ut μιμεῖσθαι significatu activo dicatur, μιμημένον scribit. Hoc quadrat ad *admirandum*. Equidem hic, ut in proximis, ad *discendum* respici debere ratus, conieci legendum esse, μεμιμημένον, ὥσπερ γραφικὴ καὶ ἀνδριαντοποιία καὶ ποιητικὴ.

Ὁ ἂν εὖ μεμιμημένον. Eὖ abest ab edd. Ald. Bas. Cam. Ex cod. Victorii recte restitutum est. Idem cod. paullo post, αὐτὸ τὸ μεμιμημένου pro εὖ τὸ μιμημα.

§. 25. Τὰ συγγενῆ δὲ κατὰ φύσιν ἀλλήλοις ἐστίν. Muretus haec in versione non expressit.

P. 61. Καὶ αἰεὶ τὸν ὁμοῖον est ex Victorii libris scriptis fidelioribus et ex prisco Intpr. Edd. vett. et alii libri scripti, καὶ ὡς αἰεὶ τῷ ὁμοίῳ φίλον τὸ ὁμοῖον. Eaedem edd. paullo post ἐγνώκει, ubi ἐγνώξ in cod. Victorii bene scriptum est.

§. 26. Ὅμοιον καὶ τὸ συγγενές. Edd. Ald. Bas. Cam. articulum omittunt. Postea pro, ἔργα τὰ τέκνα in cod. Victorii ἔργον legitur, idemque §. 29; in verbis, ἀνάγκη δὲ voculam δὲ non habet.

P. 62.



P. 62. C. XII. §. 1. Πῶς δὲ ἔχοντες. Edd. Ald. Bas. πῶς δὲ ἔχουσι.

§. 2. Πολύφιλοι ᾧσι est ex libris scriptis me-  
libribus. Edd. vett. πολλοὶ Φιλοί.

P. 63. §. 5. Μηδένα ἂν οἶδαται. Edd. Ald. Bas. Cam. ἂν non habent. Eadem §. 7. vel ὅτι  
ἐν ἂν ἐπεχείρησε, vel ἐπεχείρησαν. Vulgatum ἐνε-  
χείρησαν repositum est ex cod. Victorii.

§. 8. Διαθέσεις εὐπορος. Bene ita scriptum est  
ex edd. vett. Plurimi libri scripti, διαθέσεις εὐποροί,  
codex antiquiss. διαθέσεις εὐποροί. Idem ἀναβολὴ  
χρόνος ἢ διαφθορά, pro vulgato, ἀναβολὴ χρόνιος.

Δίωσις τῆς ἐπίσεως Edd. Ald. Bas. κτήσεως.  
Paullo post §. 9. in verbis, δοκεῖ ἔχειν cod. Vi-  
ctorii ἔχειν omittit.

P. 64. §. 11. Εἰσὶ γὰρ τινες — οἷον ἀναμάχε-  
σαι. Priscus Intrp. *Sicut et in bellicis, qui videti  
renitus, volunt vincere.* Unde Morellius vix recte  
coniecit, lectum olim fuisse, οἱ ἀποτετυχηότες ἀνα-  
μάχονται. Potius, οἱ καταμαχόμενοι ἀναμάχονται  
lectum esse dixerim. Nam cum priscus Intrp.  
verba Aristotelea premat; illa coniectura eius  
sententiam non explet. Idem vult, cum prisco  
Intrp. consentire Schol. Gr. Qui tamen quid in  
codice suo habuerit, pronunciari vix liceat. Spe-  
ciminis causa Scholiastae verba describo. Καὶ οἱ  
πολλάνεις ἀποτετυχηότες, ἧτοι πολλάνεις ὀρμήσαντες  
ἀδικήσαι καὶ μὴ δυνηθέντες ἀδικῆσαι. Ὡς γὰρ ἐν τοῖς  
πολεμικοῖς ὀρμήσαντες τινες κατ' ἐχθρῶν καὶ ἠττηθέν-  
τες, ἐ σέρουσι, ἀλλ' ἀναμάχονται καὶ ἐπὶ τῶν  
παλαιόντων πίπτοντες τινες προσκαλῶνται πάλιν εἰς πάλ-  
λην τὸν ἀντίπαλον, ἵνα ἀναπαλαίσωσιν. Ἔτω καὶ ἔτοι  
πολλάνεις ἀποτετυχόντες, ὀρῶσιν εἰς τὸ ἀδικεῖν, ὡς ἂν

E

ὄψέ



ὅψι ποτε τέττε ἐπιτύχουσι. Itaque voc. ἀναμάχεσθαι tentandum non est. Sed an possit Graece dici, εἰσι τινες, οἷον ἀναμάχεσθαι, equidem valde dubito. Contra, ut ad normam linguae Graecae conformetur oratio, conieci mutatione facillima legendum esse, οἷοι ἀναμάχεσθαι, *eo ingenio, ut de nno pugnent*, quod Wolfio, praeceptorī meo eximie colendo, et Chrph. Rufo (Antex. l. l. p. 607.) placere intelligo.

§. 13. Καὶ Φρονιμώτεροι τὰ τοιαῦτα. Edd. Ald. Bas. Cam. τὰ omittunt.

P. 66. §. 28. Καὶ πρὸς ἕς ἐσιν ἐπιεικέας τυχεῖν. Haec maxima interpunctione disiunguntur ab antecedentibus. Itaque Maioragius vertit: *Et, qui sperant fore, ut non summo iure, sed ex aequo et bono secum agatur.* Vix recte. Cum Victorio equidem hoc enuntiatum iungo cum antecedentibus: καὶ οἷς χαριένται ἢ Φιλοῖς — ἢ ὅλως (τέτοις), πρὸς ἕς ζῶσιν αὐτοὶ, καὶ πρὸς ἕς ἐσιν ἐπιεικέας τυχεῖν, *quorum gratia et clementia uti volunt.* Alioquin haec est mera repetitio paragraphi 14.

§. 29. Ἐγνεκλημότες ὄσι. Hoc Schol. Gr. tuetur, prisca Intpr. contra ἐγνεκλημότες.

Καὶ γὰρ τὰ τοιαῦτα ἐγγὺς τῆ μὴ ἀδιεῖν φαίνεται. Haec modo legebantur §. 27. Hic diverso loco in exemplaribus inveniuntur. Nam in edd. vett. antecedunt exemplum, οἷον Κάλλιππος Δίωνα: contra sequuntur in ed. Victorii, qui tamen de hac discrepantia nihil notavit. Quare coniecio verba, καὶ γὰρ — φαίνεται, scholion esse ex §. 27. huc importune translatum.

§. 30. Πέμφαι ποττάβια ἀνδροποδιαμένω. Casaubonus in Comm. ad Athenaei XV. c. i. p. 944. coniecit



conicit nomen populi excidisse, aut τινός inferendum esse. Illud praeferrem; sed Aristoteli licet absolute loqui. Quia hic modo de eo agitur, quod res gesta est; adversus quos gesta sit, reticetur.

§. 33. Εὐμετάβλητα ἢ χήμασιν Ed. Ald. ἢ omittit.

P. 67. §. 35. Καὶ ἐφ' οἷς συγγνώμη. Edd. Ald. Bas. καὶ εὐδὺς συγγνώμη.

P. 68. C. XIII. §. 2. Αἰθέρος — τέταται. Hoc est ex cod. Victorii. Edd. vett. male τέτακται.

Ὡς λέγει ἐν τῷ Μεσσηνιακῷ Ἀλκιδάμας. Edd. Ald. Bas. Cam. Ἀλκίδαμος. Non affirmaverim, in verbis Aristotelis inesse causam, unde tuto colligas, Alciamantis dictum excidisse. Nam interdum desunt pronuntiata scriptorum laudatorum, quippe tum temporis satis nota. Quae utut sunt, in Schol. Gr. leguntur significata Alciamantis verba haec: Ἐλευθέριος ἀφῆκε πάντα θεός (θεός est in Schol. impressum). δδένα δδλον ἢ φύσις πεπολημεν. Ad τὸ πάντων νόμιμον haec respiciunt.

§. 3. Πρὸς ἕς δὲ διάρισαι, διχῶς διάρισαι. Alterum διάρισαι ex vitio scribendi ortum videtur: nam est in libris scriptis discrepantia quaedam. Eo omisso facile expeditur sensus verborum.

P. 69. §. 10. Ἡ αὐτὸς ἠθῆναι. In edit. Bipont. ex coniectura scriptum est, ἢ αὐτὸν ἠθῆναι. Quamutatione opus non est. Nam verbis, quae proxime antecedunt: εἰ ἐνεκά τε, continetur vocabulum αὐτὸς, quod, ut subiectum, subauditur ad infinitivum ἀτιμάσαι. Apud ἠθῆναι contra pronomen

men expressum est, quia hic in oppositione agentis et eius, qui iniuria afficitur, quaedam vis inest. Pronomen vero sicut ipsum nomen et quidquid eius vice fungitur, si cum infinitivo coniunctum ad eum ipsum, qui agit, respicit, apud Graecos in primo casu efferri constat. Indocte errant, qui in linguam Gr. idioma Latinae inferunt, quo etiam his in locis accusativus cum infinitivo nequitur; ut et alii hodie multi, et saepissime Koeppenius in Observv. ad Hom. II. I. v. 77. 161. 170. et alias. Sed ne interiectis quidem particulis ἔνεκα, διὰ, hanc constructionem Graecam mutari, exemplo sint vel in his libris duo alii loci: L. II. 13, 9. ζῶσιν — διὰ τὸ Φίλαυτοι εἶναι. L. III. 1, 1. τῷ αὐτοῖ τι πεπονθέναι — πείθονται.

Ἄλλ' εἰ ἐπὶ βλάβῃ. Edd. Ald. Bas. ἐπὶ βλάβην.

P. 70. §. 12. Γεγραμμένον ἔλλειμα. Edd. vett. ἔλλημμα. Veram lectionem Victorius ex libris scriptis melioribus dedit.

§. 15. Ποῖά ἐσι τὰ ἐπιεικῆ. Edd. Ald. Bas. ὁποῖά ἐσι τὰ ἐπιεικῆ ταῦτα. Quae sequuntur, καὶ ἐν — ἐπιεικῆ ταῦτα, ut in libris scriptis, ita in Schol. expressa sunt. Exciderunt ex codice, unde ed. Aldina exscripta est, sine dubio propter homoeoteleuton.

§. 15, 16. Ante verba, ἐφ' οἷς τε γὰρ maxima interpunctio collocanda est, ut haec cum iis, quae sequuntur, καὶ τὸ τὰ ἀμαρτ. artius coniungantur. Ita demum τε et καὶ sibi respondent. Est hoc ex innumeris exemplum unum, alieno loco posita esse signa sectionum.

P. 71.



P. 71. C. XIV. §. 1. Ἐπὶ δικαιοσύνης δὲ τάναντιον.  
 Vocula δὲ non obstat, quo minus verum sit, quod  
 antecedenti propositione dicitur, τὸ ἐλάχισον *s. e-*  
*st maxima esse.* Immo vero ista sententia nunc  
 eo confirmatur, quod hic de iustitia agatur, iu-  
 stitiae autem alia ratio sit, alia magnitudinis.  
 Itaque particula adverbativa pertinet ad oppositio-  
 nem, quae in verbis ἐλάχισον, μέγισον inest, si tan-  
 tummodo ex ratione magnitudinis externae spe-  
 ctantur.

P. 72. §. 2. Χαλεπὸν γὰρ καὶ ἀδύνατον. Cum ver-  
 tantur haec a Maioragio: *difficile est enim et omni*  
*potentia maius; ἀδύνατον est praedicatum et τῆτο,*  
*ἔ μὴ ἔστω ἴσους* subiectum pronuntiatum. Tunc vero  
 subiectum intellectu facilius est, quam praedica-  
 tum, quod tamen non nisi explicationis causa  
 potest adiectum esse. Quare arbitror, hoc enun-  
 tiatum separandum esse ab antecedenti, ita ut  
 ἀδύνατον subiectum sit: *id ipsum, quod fieri nequit,*  
*molestum est.* Expectaveris, scriptum esse τὸ ἀδύ-  
 νατόν; sed Aristoteles etiam alibi omisit hunc sub-  
 iecti articulum, ut c. XIII, 2. δικαίον (τὸ) ἀπειρη-  
 μένον.

Ἡ γὰρ δίκη καὶ νόλασις ἴσους. Cod. Victorii δίκη  
 νόλασις καὶ ἴσους. Idem cod. et, teste Morellio,  
 prisca Intpr. §. 4. confirmant lectionem vulga-  
 tam καὶ δι' ὃ ἄν. Edd. vett. δι' ὃν ἄν.

§. 6. Ὅπερ ποιῶσι. Edd. Ald. Bas. ὅπερ ποιῶσι.

P. 73. Καὶ ὅτι ἐν εὐ. Voc. ποιῶσι, quod in edd.  
 vett. post εὐ adicitur, ab omnibus libris scriptis  
 abest, ideoque recte a Victorio deletum est.

§. 7.

§. 7. Ὁ παρὰ τὰ ἀγραφα δίκαια. Edd. vett. ὁ περὶ τὰ γραφόμενα δίκαιος. "Αγραφα vero Victorius in omnibus libris scriptis invenit, et inde recte restituit. Nam ex iis, quae sequuntur, intelligitur, haec τοῖς γραφόμενοις opponi. Παρὰ Victorius ex margine ed. Venetae sensu poscente recepit. Δίκαια auctoritate folius codicis antiquiss. et priscae Intrpr. legitur, qui, teste Morellio, ὁ περὶ τὰ ἀγραφα δίκαια ante oculos habuit. Schol. manifesto expressit lectionem, ὁ περὶ τὰ ἀγραφα δίκαιος.

C. XV. §. 1. Ἰδίω γὰρ αὐταί. Ed. Cam. ἰδίω.

§. 4. Τῷ ποιῶ νόμῳ — δικαιότεροις. Cod. Victorii, τῷ ποιῶ χρησέον καὶ τοῖς ἐπιεικτέροις καὶ δικαιότεροις.

§. 5. "Ὅτι τῇ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ τῶν ἔσι. Non dubito Graece ita dici posse, ut χρῆσθαι aut κρῖνειν intelligatur. Attamen eiusmodi vocabulum multo facilius subauditur, si restituatur lectio cod. Victorii, ὅτι τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ. Hanc lectionem etiam Mureti auctoritas et exemplorum omnium analogia confirmat. Exempla huius elocutionis collegit P. Faber de Magg. Rom. in Thef. Saleng. T. III. p. 1163. seq. In nullo articulus τῇ ante voc. γνώμῃ praemittitur, cf. etiam c. XII, 17. L. II. 25, 10. Demosth. Lept. §. 98. Ceterum quod ad haec verba intelligendum esse diximus, id vario modo exemplaria vetera adiiciunt. Edd. Ald. Bas. et nonnulli libri scripti, ἀρίστῃ χρωμένους; Ed. Isingr. et teste Morellio, priscaus Intrpr. χρωμένοις; Edd. Ven. Cam. ἀρίστῃ κρῖνειν χρωμένους habent. Paulo post pro πάντως in edd. Ald. Bas. Cam. πάντῃ, in cod. Victorii παντελῶς scriptum est, quod Muretus praefert,

§. 6.



§. 6. "Οτι ἔπραξε. Cod. Victorii, ὅτι ἔθαψε.

P. 74. §. 12. Τότε γνώμη τῆ ἀρίστη. Aptius scribetur, τό, τε. Tunc τε ad sequens καὶ refertur, et solet Aristoteles his voculis eiusmodi enuntiationes inter se coniungere.

Παρά τὸν ἱατρὸν. Ita edd. pleraeque. Ex codicibus nonnullis Victorii Buhlius in ed. Bipont. meliorem lectionem, οἶον τὸν ἱατρὸν, restituit. In cod. Victorii neque οἶον neque παρὰ invenitur.

P. 75. §. 13. Κλεοφῶν. Ita Victorius dedit ex codice antiquissimo, cum antea in exemplis impressis legeretur, Λεοφρῶν.

§. 14. "Ωσπερ εἶρηται. Riccobonus: ut (supra) dictum est. Sed antea id dictum non est. Quare complures suo iure haec ita acceperunt, ut proverbiiis fere adiungitur: sicuti solent dicere, sicut ab Homero dictum est. Cum tamen ne haec quidem ratio satis facilis sit, Muretus vult scribi, εἰ παροιμία καὶ τὸ ὡσπερ εἶρηται.

P. 76. §. 16. Τοῖστοι τῶν τοῖστων. Cod. Victorii, τοῖστοι τέτων.

§. 17. Οἱ δ' ἄποθεν καὶ περὶ τέτων πιστότατοι. Haec uncinis inclusa sunt in exemplo Bipont. ut suspensa. At, si qua delenda essent: profecto quae sequuntur verba, πιστότατοι δὲ οἱ παλαιοί, cum Mureto delenda putarem. Haec enim scholii speciem habent; illa, καὶ περὶ τέτων, videntur necessaria esse, ut verbis τῶν τοῖστων respondeant. Οἱ ἄποθεν oppositi sunt testibus προσφάτοις, suntque

ii, qui antequam caussa agitur, iam testimonium dixerunt. Itaque corrumpi nequeunt.

Πισώματα δὲ παρὰ μαρτυρίων. Etiam haec ibidem uncinis secluduntur. Si, ut univérse dicta, vertuntur: *rationes vero faciendae fidei a testimoniis profisciscuntur*: sane speciem scholii prae se ferunt. Sed pertinent ad ea, quae sequuntur, quaeque alioquin orationis vinculo carent. Sequuntur enim rationes, quibus fides per testimonia aut facienda sit, aut deroganda. Atque haec se expositurum esse, Aristoteles hoc inciso declarat. Eodem modo Schol. Gr. locum intellexit: *πισώματα*, inquit, *μαρτυρίων τὰδε*. Eiusmodi brevibus incisus Aristoteles in transeundo saepe utitur, ut §. 13. *περὶ δὲ μαρτύρων*. — Cum in edd. vett. legeretur, *πισώματα γὰρ*, Victorius, δὲ reposuit ex codice antiquiss. et prisco Intpr.

§. 18. *Μαρτυρίας χρησίμης*. Edd. vett. inepte *ἀπορίας*. Illud Victorius ex libris scriptis melioribus restituit, idque etiam Schol. Gr. tueri videtur.

P. 77. §. 21. *Τῆς περὶ τὰς μάρτυρας*. Ed. Bas. Cam. *ἐπὶ τὰς μάρτυρας*.

*Καὶ αἱ μὲν συνθήκαι ἔποιεσι τὸν νόμον νόμιον*. Sensus impeditior est. Censent interpretes, naturam τῶν συνθηκῶν hic describi, novamque earum affectionem notari. Victorio haec placet sententia: pacta conventa non pertinere ad omnes, sed ad singulos, idcirco leges pactis ratas non fieri. Cuius declarationis in ipsis vocabulis certum vestigium non inest, et cavendum est,  
ne



ne haec adverbium videantur iis, quae sequuntur, αὐτὸς ὁ νόμος συνδέσθη τίς ἐστίν. Itaque equidem putaverim, haec sine vi praecipua dicta et oppositionis causa propositioni proxima praemissa esse. Ὁ νόμος pro omnibus legibus universae ponitur. Muretus aliter legebat. Nam vertit: *et pacta quidem non ita demum rata sunt, si cum lege consentiant.*

P. 78. §. 25. Ἐτι τε εἰ ἄλλοις. Ed. Cam. ἢ ἄλλοις. Paulo post ἐναντιῶται auctoritate cod. Victorii legitur, edd. vett. ἐναντιῶνται.

§. 26. Διαλοῖσι ἂν τις τῶν ἀληθῶν. Muretus omisit voc. τῶν ἀληθῶν, quod decretis Aristotelis videtur adverbium. At tunc non satis cohaeret constructio verborum, quae nomen in casu quarto positum desiderant. Τῶν ἀληθῶν igitur recte habet. De illa discrepantia iam dictum est ad c. I. §. II. — Post verba οἱ κρίνοντες in ed. Veneta multa adduntur, quae a plerisque omnibus absunt. Ea Schol. Gr. quidem non expressit, sed videtur ipse quoque ante oculos habuisse.

P. 79. §. 27. Εἰ δὲ ὁμῶσιν ἔστω. Ita Victorius ex libris scriptis omnibus dedit. Edd. Ald. Bas. ὁμῶσιν καὶ ἔστω, edd. Ifingr. Cam. καὶ ἔστω. Postea pro ὑπ' ἐκείναις edd. Ald. Bas. ἐπ' ἐκείναις.

§. 29. Οὕτω δὲ ex auctoritate cod. Victorii et priscae Interpr. legitur. Edd. vett. ὡς. Paulo post in verbis καὶ εἰ ἰσχυρός, edd. Ald. Bas. εἰ omittunt, ed. Cam. καὶ ἂν habet.

§. 30.

§. 30. Ὅτι πῖσσει αὐτῶ. Scribendum est αὐτῶ, idemque vitium saepius in his libris invenitur.

Δεινόν τε. Ed. Cam. δεινόν γε. Paullo post §. 31. pro δίδωσι κρίνεν cod. Victorii et Interpreticus κρίσιν habent.

P. 80. §. 33. Ἐὰν δὲ τῶ ἀντιδίκῳ ἢ ὁμωσομένῳ. Perinde ac in cod. Victorii scriptum est ἢ ὑπερνώτιος καὶ ὁμωσομένους, etiam Schol. Gr. legisse videtur. Verba eius haec sunt: εἰ δὲ ὁ ὅρκος ἀμύθη πολλὰκις παρὰ τῶ ἀντιδίκου καὶ ἐναντίας.

Clausulam, περὶ μὲν ἔν — εἰρήδω τοσαῦτα, cod. Victorii plane omisit.

NOTI-



## NOTITIA SCHOLIASTAE GRAECI.

Verisimillimum est, ut a recentioribus, ita etiam a Graecis olim Rhetoricis Aristotelis libros saepius explicatos et Commentariis instructos fuisse. Nec fallit haec ratio. Nam plures VV. DD. nominantur (Fabricii Bibl. Gr. ed. III. Harlesii. T. III. p. 221.), qui Graeca in hunc librum Scholia in Bibliothecis se vidisse testentur. Citatur quoque a Mureto in Not. ad L. II. 23, 14. Scholiastes Graecus de lectione, de qua vulgatus hic noster silet. Sed praeter hunc unum, neque eum quidem omnino integrum, nullus exstat typis vulgatus. Prodiit is ex officina Neobarii Paris. 1539. forma ferme max., ex uno, Ge. Selvae Episc. Vaurenſis codice descriptus, et in locis, in quibus depravatus esset, restitutus, ut Neobarius ipsis his verbis declarat. Quem librum quanquam et Victorius et Morellius evolverunt: tamen nonnisi hic illic inspexisse videntur, et Morellius inconsideratus Scholiastae tribuit lectiones, quas an ante oculos habuerit, vix constat. Victorius duodecies fere eius mentionem fecit. In multis locis, in quibus ad confirmandam sententiam suam eius qualicumque auctoritate uti potuisset, eum plane praetermittit. Muretus contra Scholiasta hoc non videtur usus esse. Neque hoc nomine incusandi sunt magni illi viri, quorum aetate, qui nunc vix multo labore comparantur, codicum commentariorumque manuscritorum tanta copia in manibus Italarum esset, ut meliores seligerentur, ceteri haud magni haberentur. Victorius nonnisi semel (in Comm. ad L. III. 9, 2.) Scholiastae interpretandi rationem attingit. *Mira est, inquit, hominis audacia in verbis mutandis et ad suas quasdam sententias redigendis:* unde de eius pretio parum exillimari poterit, quoniam eiusmodi Commentatoribus hoc fere commune est. Mihi in hac descriptione et censura, unde Fabricii illa suppleri poterit, multo durius de Scholiasta existimandum est, quo tamen eius aliqua utilitas non tollitur, dummodo scoria a metallo secreta fuerit.

Scho-



Scholiastes, quem si voco, loquor quasi de uno scriptore, etsi fortasse plurium manus in eo coniunctae sint, quia longe maiorem Commentarii partem ab uno Commentatore profectam et continuo modo perscriptam esse constat; Scholiastes igitur non omnia et singula, quae ab Aristotele praecipiantur, exposuit; quare eius silentio suspicio moveri non debet. Sic multa, praesertim ea, quibus Aristoteles operis sui propositum declarat, praetermissa sunt. Maximam tamen enuntiatorum partem, et libro tertio, ad quem longior est commentarius, pleraque omnia ita explicat, ut modo verbis Aristoteleis brevia scholia adiungat, modo vero et saepius sententiam aliis verbis, iisque numero pluribus, describat, et quasi denuo de eadem re faciat sermonem, cui Aristotelis verba aut omnia aut nonnulla inserta sunt, ita mutata, ut ad Scholiastae orationem et verborum constructionem convenient. Quae in Aristotele subaudienda sunt, hoc sermone supplentur, non hanc ob causam, ut verba auctoris accurate explicentur, sed ut sententia manifestius declaratur. Interdum exemplis illustrantur ea, quae intellectu difficilia videbantur; sed saepe sine causa. Aristotelis exempla longius extenduntur; ut exemplum a Simonidis iambo (L. I. c. 6, 24.) petitur, (sol. 10 a.) ab omni parte consideratur. Atque haec omnia magna verborum et propositioum copia dilatantur et reperuntur, ut saepe taedio lectores affici oporteat.

Rarissime Scholiastes ita se attollit, ut etiam de iis, quae ab Aristotele tantummodo attinguntur, ipse disputet. Nec feliciter ei cessit conatus. Ut (L. I. c. 6. init. fol. 9a.) τῶν ποιητικῶν τῶν ἀγαθῶν tria genera, ὁδοποιῶν, τηρητικῶν et ἐπαναστατικῶν appellat, quae nomina Aristotelis sententiam non omnino explent, qui certe in hoc cum Scholiaste non consensisset, quod τὸ ὑγιαίνει nominat τὸ ὁδοποιεῖν πρὸς τὴν ὑγίειαν.

Scholiastes saepius antiquiora quaedam Scholia laudat. Praeterea interdum in mediam eius orationem notationes alius Commentatoris inserta sunt, eaeque saepe loco alieno. Ut cum (L. III. c. 16. extr.) Αἴμων Sophoclis citetur; loco proprio haec dicuntur: Καὶ ὁ Αἴμων  
δράμα



ὁράμα ἐστίν. καὶ ὑπὸ γνήθειά ἐτος αἰεὶ εἰπεῖν πρὸς τὸν ἐρω-  
τῶντα. Aliquanto post c. XVII. §. 3. media aliud scho-  
lion quasi de coelo delapsum legitur, in quo hi Sopho-  
clisiani ex Antigone recte exscribuntur. Iidem in fine  
libri tertii verba ἢ ἐν παραβολῆς suo loco declarantur;  
deinde, haud paucis interiectis, alia de iisdem verbis  
animadversione totum opus fuitur. Hunc ad modum  
potissimum breves notae, quibus vel lectionis diversitas  
ostenditur, vel scriptoris laudati verba describuntur, in-  
ditae sunt. Quae cum appareat, ab eodem Commenta-  
tore, cuius cetera sunt, profecta esse non posse: dabi-  
tari tamen nequit, quin plurima, quibus Aristotelis de-  
creta explicantur, ad unum eundemque auctorem referri  
debeant. Aequabili enim tenore omnia conscripta  
sunt. Quanquam sunt aliquot loci, in quibus in  
oratione Scholiastae confusarum lectionum plurium  
vestigia cernantur, ut fol. 11a et 15a (ad L. I. 7, 3. et  
35.). Ibi quoque haec oratio integra esse non videtur.  
Alibi, in primis in initio Commentarii, diversae senten-  
tiae et interpretationes voculis, ἢ, ἢ ἔτως, Φησὶ, iun-  
ctantur, quae tamen forsitan ab ipso auctore compositae  
sunt, cui primum latius evagari et plurium interpretum  
declarationes colligere propositum fuerit.

In principio Commentarii desunt, prout ex tracta-  
tione ceterorum existimare licet, duo aut tria folia. Ab  
explicatione verborum καὶ δάπερ καὶ ἡ Διαλεκτική (L. I.  
2, 11.) opus orditur. In fine tam integrum est, ut vel  
ultima Aristotelis verba reddita sint, quod propter erro-  
rem Fabricii noto.

Textus Scholiastae, ut impressus est, maxime hoc  
vitio laborat, quod, quam Aristotelis verba a caeteris qui-  
dem parentheseos signis separentur, plerumque id haud  
accurate et saepe tam male fit, ut notis his lector facilli-  
me falli possit. Atque hanc ipsius codicis scripti culpam  
fuisse, Neobarius in prooemio declarat. Interdum certa  
sunt corruptelarum indicia, ut (L. I. 13, 3. fol. 25b.) in  
oratione Alcidasantis, quam exscripsi, et (L. II. 7, 3.  
fol. 35b.) in verbis, τὰ μὴ γνωμένα μετὰ λύπης, ἦτοι δ,  
ἐάν γένηται, λύπην μοι προξενεῖ, ubi post ἐάν negationis  
vocalam deesse existimo.

Quae



Quae cum ita sint: intelligitur, neque ad interpretationem expediendam, neque ad Aristotelis orationem restituendam permultum adiuventi ex Scholiastae redundare. Saepe paraphrasi continentur explicationes, quae ad verba textus et ea, quae antecedunt vel sequuntur, omnino non quadrant. Alias cum rebus Victorii aliorumque declarationibus consentit; rarissime singulare quiddam habet, quod melioris notae esse videatur. Sententia Aristotelis fere tam univere reddita est, ut de verborum accurate consideratorum significatione Commentator non laboraverit. Eadem de causa, et quia Aristotelis verba ad orationem et constructionem Scholiastae conformantur, plerumque certo definiti nequit, quid in eius codice lectum fuerit. Atque in hoc saepissime peccavit Morellius. Vt L. I. 2, 22. c. III. 5, 14. et alibi definit, quid Scholiastes ante oculos habuerit, quanquam verba Aristotelis tam libere exprimuntur, ut de lectione non constet. Quos Morellii errores Sylburgius et Buhlius V. C. in editionum suarum Variis Lectionibus repetunt. Maxime perspicuum est, quid Scholiastes in libro suo invenerit, ubi quaeritur, utrum affirmentur, quae Aristoteles dicit, an negentur: deinde si lectionis diversitas notatur, quod rarius fit: denique si verba Aristotelea ita afferuntur, ut cum reliquo Scholiastae sermone non coniungantur, ubi fere vocula *ἢτοι* interiecta est. De nominis numero et declinatione verbi ne tum quidem certus aliquis esse possit. Cum ad has potissimum rationes Scholiastae orationem excutere, et tantummodo certa lectionum vestigia sequi studuerim: codicem, quo Scholiastes usus est, existimo maximam partem cum lectione edd. Venetae et Aldinae consensisse. Haud raro tamen lectiones verae, quae ex prisco Interprete et antiquissimo Victorii codice restitutae sunt, confirmat auctoritate sua, quae, cum plerisque, quae supersunt, libris scriptis antiquior esse videatur, non omnino spernenda est.

Sunt inter Scholiastas Graecos eruditissimi quidam, ut Apollonii Rhodii et Aristophanis Commentatores. His nostrum multum dissimilem esse, propter ea, quae iam notavi, vix opus est addere. Ex Scholiastis aliis saltem, quae ad historiam antiquam faciunt, multa hauriuntur. Sed



Sed ne hanc quidem ad rem nostri magnum usum esse, inde perspicitur, quod ipse in historia antiqua parum versatus, saepe peccat. Ut fol. 7*b*. Epaminondam et Zaleucum inter imperatores Athenientium numerat, et ex Romanis solum scilicet Caesarem Augustum celebrat. Fol. 35*b*. (ad L. II. 6, 24. *περὶ τῆς Σάμου πληροχίας*.) commemorat, Athenienses et Lacedaemonios, cum certarent, ad quos Sami possessio pertineret, rem ad sortem revocasse. Fol. 65*b*. (ad L. III. 10, 7. *Ἀίστων δὲ, ὅτι εἰς Σιμελίαν τὴν πόλιν ἐξέχευον*.) vult Periclem in Siciliam duxisse exercitum. Afferuntur quidem verba veterum scriptorum ab Aristotele laudata etiam quibusdam in locis, ubi in exemplaribus nostris non sunt exscripta, atque sic quaedam fragmenta a Scholiasta servata sunt, alibi non reperta. Sed et pauca haec sunt, neque ipsius Scholiastae doctrinae tribuenda esse videntur. Nam in oratione sua, praeter Patres quosdam ecclesiae, plane nullum librum ab Aristotele non laudatum citat, nisi quod aliquoties eius Ethica attingit. Itaque cum veterum scriptorum loco referat: ni fallor, margini codicis adscripta, aut in aliis Commentariis notata erant, aut post Scholiastae curam ad eius libros accesserunt. Quod Scholiastes ipse veteres scriptores non evolverit, argumenta haec sint. Sophocles et Euripides haud raro ab Aristotele laudati sunt, eorumque loca tunc exscribuntur in Commentario Graeco. Nihilominus quae (ad L. III. c. 16. extr.) de Aemone dicuntur, quaeque antea exscripti, ita comparata sunt, ut intelligas, haec non ex loco Sophoclis animadversa, sed ex iis, quae Aristoteles ibidem de locaste dicit, desumpta esse. Scholiastes callide suspicabatur, exemplum de eadem re allata, similia esse oportere: Sophoclem non inspexit. L. III. c. 17. extr. Hecubae verba ex Euripidis Troadibus citantur. Scholiastes ex Euripide haec esse nescit, et a viro affirmat pronuntiata esse. Praeterea (ad L. I. 9, 20.) notat, a Sappho in eius carmine introduci Alcaicum dicentem, *Ἰέλω* — *αἰδώς*; ceteros versus aliud quoddam carmen esse. Haec talia, si ipse in scriptoribus veteribus versatus fuisset, eum latere non potuissent. Sed his in locis a libris suis desertus, suae doctrinae specimen dedisse videri potest.



At hoc in indicè peccatorum diutius morari nolim. Iam postremo loco de aetate Scholiastae pauca dicam. Animadvertum iam est a Fabricio, eum peregrinis novisque verbis uti, nec opus est, iis, quae exempli loco ab eo afferuntur, alia addere. Ex iis, quae a Scholiasta dicuntur ante ipsam facta esse, Fabricius tantummodo ponit, eam Constantino M. posteriorem esse. At multo est posterior. Cuius rei certissimum argumentum hoc esse puto, quod (fol. 45b.) Maronitae ita appellantur, ut haec societas iam viribus aucta esse videatur, quibus demum saeculo octavo crevit. Verba Graeca haec sunt: *ἔ γάρ ἐν ἑδοξέ τι, (sine dubio τις legendum est,) καὶ ὑπέλαβεν, ἔτι οἱ Σιφνιοὶ καὶ οἱ Μαρωνῖται βελεύονται περὶ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἀρχῆς.* Non minus notatu dignum est, quod, cum (L. I. 6, 24.) dicantur *boni esse, quos hostes laudent*, (fol. 10a) Romanorum, h. e. novae Romae civium, exemplo Scholiastes utitur, quorum virtutem affirmat, ab Ἰσραηλιταῖς laudibus celebrari. Saraceni hi sunt; Turcas ita non appellasset. Atque hi loci Scholiastae sermoni ita intexti sunt, ut, eos aliunde inculcatos esse, suspicari non liceat. Inde tamen vix accuratius Scholiastae aetas definiri poterit, quam quod inter saec. VIII - XIII. vixisse videatur. Itaque facile intelligitur, Gregorii Nazianzeni manu hos commentarios scriptos esse non posse, quod tamen Fabricius videtur defendere. Quae coniectura eo minus est probabilis, quod ipse ille Γρηγόριος ὁ μέγας ἐν θεολογίᾳ bis citatur (fol. 9b. et 17a.); posteriori quidem in loco, ut auctor epitaphii sermonis in Hierophantem.

Atque haec videbantur notanda esse de Scholiasta Graeco eiusque pretio, cuius sedulo conferendi laborem superfluum nec volui nec potui, ne quidquam, quo Rhetoricorum lectio in difficilioribus locis adiuvari queat, praetermissum esse videatur.












71A 6453







ANIMADVERSIONES  
AD  
ARISTOTELIS  
LIBRUM PRIMUM  
RHETORICORUM  
CUM  
NOTITIA ET CENSURA  
GRAECI SCHOLIASTAE EORUM  
PAUCIS COGNITI  
QUAM DISPUTATIONEM  
CONSENSU  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
P R A E S I D E  
VIRO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
ERUDITISSIMO  
FRIDERICO AUGUSTO WOLFIO  
ELOQ. ET POËS. PROFESSORE PUBL. ORD.  
PRO SUMMIS IN  
PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS  
DIE II. MAII MDCCCLXXXIII  
PUBLICE DEFENDET  
IOANNES SEVERINUS VATERUS  
ALTEBURGENSIS.

HALÆ SAXONUM.